# DE PRAECEPTIS ROMANORVM EVPHONICIS



DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

**CAROLVS HEVER**

SONNEBORNENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMIX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 28. November 1908.

Professor Dr. **Hirzel**,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS·CARISSIMIS

SACRVM

Euphoniae praecepta, si quidem Diogeni Laertio fidem habebimus, Graecorum primus Democritus videtur tractasse, qui *περὶ καλλοσύνης ἐπέων* et *περὶ εὐφώνων καὶ δυσφώνων γραμμάτων* [1]) scripsisse dicitur. Hunc excipiunt, ut mittamus sophistas, de quibus res incerta est, stoici, quod evincitur Augustini verbis quae exstant de dial. cap. 6. Etiam rhetores euphoniae operam dedisse obiter moneo. Eandem inter grammaticos, quorum quidem scripta ad hanc aetatem pervenerunt, Dionysius Thrax, Aristarchi discipulus [2]), primus tetigit notione *καλλιφωνίας* usus: *ἡ δὲ ἀπόστροφος τίθεται, ὅτ' ἂν διὰ τὴν καλλιφωνίαν κουφίζηται τὸ ἓν φωνῆεν γράμμα, ὁπηνίκα δύο φωνήεντά εἰσιν ἐν μιᾷ λέξει* (Gr. Gr. I 1 p. 112, 5 sqq.). Praeter Dionysium nominandus est Apollonius Dyscolus: *τὰ γὰρ παρ' Αἰολεῦσιν ἕνεκα τῆς συντάξεως πολλάκις ἀποβάλλει τὸ ν δι' εὐφωνίαν* (Gr. Gr. II 1 p. 97, 20 sq.). Ceterum de praeceptis Graecorum ad euphoniam spectantibus egregie sagaciterque disputavit Augustus Lobeck libri quem inscripsit 'Paralipomena grammaticae Graecae' p. 3—65.

A Graecis pendent Romani. Imprimis autem commemorandi sunt grammatici, inter quos M. Terentius Varro, quamquam notione euphoniae non est usus, primus dedit operam quaestionibus euphonicis. Etsi minime nobis obliviscendum est non solum grammaticos euphoniae rationi studuisse, sed etiam rhetores, cum ad artem rhetoricam euphonia quam maxime pertinere videatur. Itaque non est mirandum, quod praeter Varronem grammaticum etiam Cicero posteaque Quintilianus de litterarum vi et de sono vocum quaestiones instituerunt. Quod ad grammaticos attinet, non omnes commemorabo, qui de euphonia disputaverunt, sed clarissimos tantum atque illustrissimos. Neque vero nobis neglegendum est,

1) Cf. H. Diels: Die Fragmente der Vorsokratiker I² 357.
2) Cf. M. Schmidt, Philolog. VII 366 sq.

ut taceamus de grammaticis, qui secundo et tertio fuerunt saeculo neque quidquam in scriptis huic aetati servatis de euphonia dixerunt, quarti quinti sexti post Christum saeculi grammaticos praeter ceteros in quaestionem venire, quippe qui permulta ad euphoniam spectantia tractaverint. In his nominandi sunt: Diomedes, Charisius, Donatus, Priscianus. Sed quorum nomina modo attuli grammatici in rebus ad euphoniam pertinentibus ex parte tantopere inter sese congruunt (cf. p. 36, 49 sq., 52), ut e primario quodam fonte communi eos hausisse certo dici possit, cum definiri nequeat, quid alter alteri debeat; Priscianus autem, in cuius institutionibus grammaticis multo saepius agitur de euphonia quam in aliorum libris artigraphorum omnibus, a quibus auctoribus quaeque petiverit, difficillime dici potest.

Nunc vero priusquam ad ipsum propositum transeamus, paucis verbis exponere liceat, quomodo Graeci Romanique de vocis suavitate disputaverint atque euphoniae notionem intellexerint. Velut Quintilianus I 5, 4: *vocalitas,* inquit, *quae εὐφωνία dicitur.* Alio vocabulo utitur Augustinus GR. L. V 517, 2 sq.: *nam euphonia, id est suavitas bene sonandi;* quibuscum conferenda quae sunt apud Cledonium GR. L. V 47, 16 sq: *in declinandis nominibus debemus potius suavitati quam rationi obsequi, id est euphoniae potius quam analogiae.* Tertius audiendus est Priscianus, qui notione *sonoritatis* utitur GR. L. II 9, 16: *euphoniam . . . quam nos sonoritatem possumus dicere.* Alio quidem loco adhibet aliud vocabulum GR. L. III 463, 14: *euphonia, id est sonus.* Gellius graeco usus vocabulo rem compluribus verbis circumscribit N. A. XIII 21: *quod . . . maior ratio habita sit sonitus vocum atque verborum iucundioris, quae a Graecis εὐφωνία dicitur, quam regulae disciplinaeque, quae a grammaticis reperta est.*

Iam ad quaestionem accedentes, quibus a causis exortum sit euphoniae studium, id solum quaeremus, quid Romani de ea re senserint. Qui cum ad aurium voluptatem aptandam esse universam orationem persuasum haberent, aurium iudicio etiam verba et formas subiciendas esse putaverunt. Quod Romanorum studium haud difficulter intellegi potest ex illis locis, quibus de sermonis suavitate agitur. Velut Cicero de or. III 37, 150: *in propriis igitur est verbis illa laus oratoris, ut abiecta aut obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur. scilicet in hoc verborum genere propriorum dilectus est habendus quidam*

*atque is aurium quodam iudicio ponderandus est.* Augustinus de dial. cap. 6: *nemo,* inquit, *abnuit syllabas, in quibus v littera locum obtinet consonantis — quasi validum sonum edere. quod approbat etiam loquendi consuetudo, cum de quibusdam verbis eas subtrahimus, ne onerent aurem.* Marius Victorinus [1]): *nam ut color oculorum iudicio, sapor palati, odor narium dinoscitur, ita sonus aurium arbitrio subiectus est.* Etiam Gellius sibi persuasit oratori semper aurium consilio utendum esse. Quae eius sententia intellegitur e N. A. XIII 21, 1, ubi Valerium Probum dicentem facit: *si aut versum pangis aut orationem solutam struis atque ea tibi verba* (sc. *urbes* et *urbis,* quibus Vergilius alio quidem loco aliter est usus) *dicenda sunt, non finitiones illas praerancidas neque fetutinas grammaticas spectaveris, sed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere; quod illa suaserit, id profecto erit rectissimum.* Ex his locis, qui facile aliis augeri possunt, satis elucet, quantum in oratione Romanorum aurium voluptas valuerit.

Quae cum ita sint, per se falsum putari non posse videtur, si critici in diiudicandis lectionibus controversis id quod melius sonat rectius esse censent. Quamquam haec interpretandi ratio non semper comprobanda est atque laudanda. Saepissime enim ea nobis quidem suavia beneque sonantia videntur, quae Graeci atque Romani ut aspera auditu vituperaverunt. Qua de re optime disputantem audias Augustum Lobeckium [2]): 'etsi critici', inquit, 'in diiudicandis lectionibus controversis persaepe aurium iudicio niti solent, tamen quam lubricum sit de Graecorum sensu existimare vel hinc intellegi potest, quod quae grammatici et rhetorici ut cacosyntheta et inconcinne iuncta notant, hodie a legentibus ne animadverti quidem solent, quae vero nobis aspera pronuntiatu audituque videntur, eorum frequens reperitur apud veteres usus'.

Et tractaturi hanc quidem rem, de qua virorum doctorum adnotationes passim per commentarios exstant, operae pretium fore putamus accuratissime praecepta Romanorum ad euphoniam pertinentia omnia enumerare quantumque poterit illustrare, cum praesertim adhuc nemodum totam illam materiam collegerit ac disposuerit. Ita autem rem tractabimus,

---

1) GR. L. VI 10, 3 sq.

2) l. l. p. 3.

ut deinceps disseramus: de verbis, quibus grammaticorum sententia euphoniae causa littera vel syllaba est adiecta; de vocibus, quae ad sonum corrigendum litteram abiciunt vel syllabam; de litteris suavitatis gratia commutatis. Quarto autem loco nobis demonstrandum erit Romanos secundum grammaticos nullis de aliis causis nisi euphonicis in verbis declinandis sive coniugandis haud raro sibi non constitisse. Deinde appendix sequetur primum de hiatu, qui utrum a Romanis euphoniae causa sit adhibitus an propter asperitatem evitatus dubitatum est; tum de sermonis vitiis, quae cacemphaton et cacosyntheton vocantur; postremo tandem de verborum figuris vel euphoniae causa adhibitis vel propter durum sonum vitatis. Ac primum quidem quaeratur de verbis, quibus euphoniae causa litteram vel syllabam adiectam esse grammatici censent.

## I.

Iam Graecos verbis quidem nonnullis litteram addidisse idque ita, ut ea vel vocis sonum explerent vel asperitatem verbo propriam obscurarent, vix est quod commemorem. At tamen ad hanc rem illustrandam nonnulla elegimus huius modi exempla. Etenim saepissime non solum in Homeri carminibus verum etiam apud alios poetas invenies formas *ἄμβροτος, τερψίμβροτος, φαεσίμβροτος, φθισίμβροτος*. Praeterea Aeschylus *μιξόμβροτος* et *πεισίμβροτος* (Suppl. 563, Ch. 357) usurpavit. Quibus verbis *β* litteram ideo insertam esse, ut vox commodius suaviusque pronuntiari posset, quis est quin concedat? Nam ut veteres vocalium concursum respuebant, ita id quoque spectaverunt, ne consonantibus quibusdam compositis aliquid offensionis haberet oratio. Quibus de causis *ἀνδρός, γαμβρός, μέμβλωκα* (quam perfecti formam Homerus fecit a verbo *μολεῖν*) dixerunt litteris *δ* et *β* euphoniae gratia interpositis. Qua re etiam factum esse putaverimus, ut Graeci latina quidem vocabula ad sui ipsius proprietatem sermonis accommodantes mirum in modum commutaverint. Id quod Romani *Tiberis* nominabant, illi verbo *Θύμβρις* reddiderunt. *Insubres* Polybius *Ἴσομβρας*, Plutarchus *Ἰνσόμβρους* appellavit.

Iam ad latinum sermonem nos convertentes facere non possumus, quin consentiamus cum grammaticis, qui sibi persuaserunt inter litteras sive m et s sive m et t, ut quae difficiles essent pronuntiatu, p litteram interponendam esse. Velut ad aures mulcendas verborum formas *dempsi, demptum* et *sumpsi, sumptum* p littera adiecta scribendas esse censent. Quam litteram auxiliarem in his verbis pronuntiandis non minus auditam esse quam ceteras verborum litteras etiam Brambachius [1]) putat. 'Den Uebergang', inquit, 'zwischen m und t, m und s vermittelt naturgemäss ein durch das breite Oeffnen der Lippen entstehendes p. Wo also durch Stammbildung oder Flexion m unmittelbar vor t oder s tritt, schiebt sich in der Lautsprache ein p ein, welches mit Stamm oder Endung keine Gemeinschaft hat. Im römischen Munde klang ein solches irrationales p so laut mit, dass nicht nur die gewöhnliche Schreibweise sich ihm bequemte, sondern auch die Theorie dasselbe in vielen Fällen annahm, in einigen nur künstlich zurückwies'.

Neque aliis de causis nisi euphonicis adiectivo menstrui t et r litteras adiectas esse Priscianus iure putare videtur [2]). At dicendum est nos quidem multis de rebus aliter iudicare atque grammaticos, quippe qui persaepe in errorem inciderint, quia verborum originem non recte intellegebant. Exempli causa Priscianus verbis *tonstrina* et *defenstrix* t litteram additam esse contendit, quod litterarum s et r commissura auribus offensioni sit. Quam grammatici sententiam quamquam primo quidem obtutu magnam veritatis speciem habere videtur, tamen facere nequimus, quin reiciamus consentientes cum Corsseno, qui rectam ingressus esse viam videatur ('von textor, *tonstor, der Grundform von tonsor, finden sich weiter gebildet die Wortformen textrina, tonstrina') [3]).

Quae cum ita sint non miramur, quod Priscianus de pronominis demonstrativi formis *huiusce hisce hosce hasce* disputans ut rem acu tetigerit tantum abest, ut originem harum formarum non intellegens errore sit obrutus. Quibus enim formis *ce* syllabam suavitatis gratia adiectam esse falso putavit, cum ignoraret antiquitus omnibus huius pronominis casibus *ce* syllabam adhaesisse

1) Cf. Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie, Lips. 1868, p. 248.

2) Cf. Fr. Stolz: Historische Grammatik d. lat. Sprache p. 477.

3) Cf. Kritische Nachträge zur lat. Formenlehre, Lips. 1866, p. 292.

posteaque vel plane detrusam esse vel e litteram abiecisse[1]). Similiter res se habet in pronomine *idem,* cui *dem* syllabam ad sonum pleniorem efferendum additam esse grammaticus incertus sibi persuasit.

Hanc ad rem etiam pertinere videntur ea, quae grammatici de aspiratione adhibenda vel neglegenda dixerunt. Velut Velio Longo *harena* suavius sonare visa est quam *arena. Arenam* autem non minus in usu fuisse quam *harenam* vix est quod dicam. Quae cum ita sint, fortasse quaeras, quomodo factum sit, ut Romani nonnullis in verbis enuntiandis scribendisque dubitaverint, utrum h littera adhibenda esset necne. Nec difficile est ita quaerenti respondere. Antiquissimis enim temporibus Quintiliano teste (I 5, 20) h rarissime usurpata est, cum postea magis magisque in usum recepta sit. Itaque factum est, ut etiam talibus irreperet verbis, quae secundum originem sine aspiratione pronuntianda erant. Velut dixerunt Romani *humor* pro *umor* (*uvere*), *havere have* pro *avere ave*[2]). Talia autem summo iure vituperavit Catullus carm. 84 hisce verbis: *Chommoda dicebat, si quando commoda vellet Dicere et hinsidias Arrius insidias.* Neque aliter Nigidius Figulus sprevit aspirationem perperam adhibitam: *rusticus fit sermo, si adspires perperam*[3]). Gellii prorsus aetate h litteram quodammodo reprimi coeptum esse vel inde apparet, quod Romani tunc temporis *alucinari, eluari, aenum* sine aspiratione pronuntiabant[4]). Nonnulla vero verba iisdem temporibus et cum aspiratione et sine ea in usu fuerunt. Velut dicebatur *holus* et *olus, hedera* et *edera, hordeum* et *ordeum, harundo* et *arundo, haruspex* et *aruspex*[5]). Quare factum est, ut grammatici rhetoresque interdum dubitarent, utrum aspiratio adhibenda esset necne.

---

1) Cf. F. Schmidt: Quaestiones de pronominum demonstrativorum formis Plautinis, Berolini 1875, p. 40: 'Fuit aliquando tempus, quo Romani semper dicebant: hice haece hoce huiusce — hisce hosce hasce; sed postea littera finalis 'e' ut in multis aliis vocabulis, etiam in his formis decidit; sic ortae sunt formae: hic haec hoc — horunc harunc; itemque ex formis hisce hosce factum est hisc hosc, quas formas si sequebatur consonans, cum propter nimiam duritatem nemo Romanus bene pronuntiare posset, etiam c detrudi necesse fuit'.

2) Cf. Brandis: De aspiratione Latina quaestiones selectae, Bonnae 1881.

3) Cf. Gell. N. A. XIII 6, 3.

4) Cf. N. A. II 3, 3.

5) Cf. C. L. Schneider: Grammatik der lat. Sprache, Berolini 1819, p. 182 sqq.

Restat, ut paucis verbis disseramus de vocalis interponendae ratione. Ac primum quidem dicendum est etiam Graecos ad vocis sonum explendum vocalem interposuisse. Quae sententia quo modo quibusque argumentis probari atque confirmari possit considerantes facere nequimus, quin afferamus verba Macrobii [1]), ut qui de defectivis verbis disputans hanc in rem inquisiverit. Scriptum enim legimus: *litterarum inconvenientia deficiunt* (sc. verba in declinatione), *quoties verbum habet ante ω μ vel μν: haec enim secundum regulam suam proferri ..... non possunt, ut νέμω, cum regulariter fieri debuisset νένεμκα ἐνενέμκειν, quia non potuerunt hae litterae convenire, intercessit η, νενέμηκα, ἐνενεμήκειν: item ἐνέμθην vel νεμθήσομαι eandem sumpsere litteram propter euphoniam, ἐνεμήθην, νεμηθήσομαι.*

Neque aliis de causis nisi euphonicis Romani nonnunquam interposuerunt vocales. Velut *catulus vitulus tabula* dixerunt, cum in Umbro sermone formae *katles* (gen. sing.), *vitluf* (acc. plur.), *tafle* [2]) occurrant. Quae cum ita sint, haud ita mirum nobis quidem videtur, quod Priscianus verba *Atheniensis* et *gavisus* i littera assumpta ideo dici putavit, ut sono suavitative satisfierent. Vix enim est cur dicam hanc grammatici sententiam falsam esse, praesertim cum inter omnes constet vocem *Atheniensis* haud aliter atque *Haliciensis, Romaniensis, Corinthiensis* factam esse secundum verba *Siciliensis, Bononiensis, Volsiniensis,* quorum radices i litteram exhibent [3]). *Gavisus* autem formam secundum *visus* illis temporibus ortam esse, quibus **gavideo* nondum per syncopam *gaudeo* facta erat, tanta cum verisimilitudine conici posse videtur, quam in hac quidem re omnino assequi possumus [4]).

Iam secuntur grammaticorum testimonia ad adiectionem pertinentia:

Priscianus GR. L. II 507, 16 sqq.: *Demsi demptum, sumsi sumptum, in quibus etiam p euphoniae causa interponitur, quod etiam in praeterito quibusdam placuit scribere.*

Priscianus GR. L. II 136, 4 sqq.: *In 'uus' divisas tam a nominibus qam a verbis derivata secundum in 'ius' terminatorum regulam*

1) GR. L. V 628, 28 sqq.

2) Cf. tableis C. I. L. I 200, 46.

3) Cf. Stolz, Historische Grammatik der lat. Sprache p. 541.

4) Cf. Brugmann, Indogermanische Forschungen I 176.

*mutatione extremarum litterarum vel litterae in 'uus' solent fieri, ut pater patri patruus . . . . notandum inter haec menstruus, quod euphoniae causa assumpsit t et r.*

Priscianus GR. L. III 463, 10 sqq.: *Fac nomen verbale a participio praeteriti temporis: armator armatrix. Cur? Quia omnia participia praeteriti temporis us in or convertentia faciunt nomen verbale in omni coniugatione masculinum, ex quo iterum or in rix mutantes facimus femininum, nisi euphonia, id est sonus, prohibeat, quod evenit in illis, quae in sor desinunt, ut pransor cursor tonsor. Nemo enim dicit pransrix cursrix tonsrix propter asperitatem pronuntiationis. Unde et Terentius* [1] *tonstrina dixit euphoniae causa addens contra regulam t. Sicut enim a doctore* [2] *doctrina consonantes eas habuit, quas suum* [3] *primitivum, sic debuit etiam tonsrina absque t esse, nisi sonoritas coegisset. defenstrix quoque Cicero in Timaeo protulit addita t* [4].

Priscianus GR. L. II 136, 10 sqq.: *In 'quus' quoque desinentia similiter fiunt: aequs, aequus . . . sed magis ab his nominibus verba quam a verbis nomina sunt derivata. Longus longinquus ideo assumpsit n ante 'quus', quia aliter euphoniae satisfacere non poterat.*

Priscianus GR. L. II 593, 1 sq.: *Nunc vero eorundem pronominum his casibus frequenter additur 'ce', qui in s desinunt, euphoniae causa: huiusce hisce hosce hasce.*

Grammaticus incertus GR. L. V 542, 10 sqq.: *Cui* (sc. id) *ad ornatum adiecta est 'em' syllaba, et facit idem, non quia aliud significat id et aliud idem. sed idem ornatius dicimus, quo modo quidam, dam syllaba ad ornatum accessit, non quia aliud significat qui et aliud quidam. Sic idem, sic eadem acceperunt dem syllabam, non ut aliud significarent, sed ut euphonia esset. etenim studium fuit omnibus musicare latinitatem et id addere, quod in aures laberetur, id demere, quod rancidius offenderet auditum.*

Gellius N. A. XII 13, 7 sqq.: *Tres istae voces intra citra ultra, quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres appellabantur syllabis 'in cis uls'. Haec deinde particulae quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus*

1) Phorm. I 2, 39.

2) *a docto* C.

3) *verbum primitivum* S.

4) Cf. Cic. Tusc. 5, 58: *Regiae virgines ut tonstriculae tondebant barbam et capillum patris.*

*omnibus eadem syllaba, et quod dicebatur 'cis Tiberim' et 'uls Tiberim', dici coeptum est 'citra Tiberim' et 'ultra Tiberim'; item quod erat 'in', accedente eadem syllaba 'intra' factum est*[1]).

Charisius GR. L. I 103, 21 sq.: *Harena dicitur quod haereat, et arena quod areat; gratius tamen cum aspiratione sonat.*

Gellius N. A. II 3, 1 sqq.: *H litteram sive illam spiritum magis quam litteram dici oportet, inserebant eam veteres nostri plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset viridior vegetiorque; atque id videntur fecisse studio et exemplo linguae Atticae. Satis notum est Atticos ἰχθύν et ἵππον*[2]) *et multa itidem alia contra morem gentium Graeciae ceterarum inspirantis primae litterae dixisse. Sic lachrumas, sic sepulchrum, sic ahenum, sic vehemens, sic incohare, sic helluari, sic halucinari, sic honera, sic honustum dixerunt. In his enim verbis omnibus litterae seu spiritus istius nulla ratio visa est, nisi ut firmitas et vigor vocis quasi quibusdam nervis additis intenderetur.*

Priscianus GR. L. II 133, 9 sqq.: *In 'ensis' desinentia, si sint a nominibus primae vel secundae declinationis, mutant extremam partem nominativi singularis vel pluralis in 'en' et assumunt 'sis': Cirta Cirtensis ... Catina Catinensis ... Athenae Atheniensis euphoniae causa i habuit antepaenultimam et Halice Haliciensis.*

Priscianus GR. L. II 483, 4: *Gaudeo vero etiam i post u assumpsit euphoniae causa 'gavisum'.*

## II.

Postquam ea, quae de litteris additis dicenda videbantur, expedivi, iam in eo est, ut hac in parte, quod iam in initio significavi, in eas voces inquiram, quas ad sonum vocis corrigendum litteram vel syllabam abiecisse grammatici dicunt. Ac primum quidem videamus, utrum Graeci ad difficultatem pronuntiandi solvendam hac ratione sint usi necne. Nec desunt verba quae indicent euphoniae causa litteram eiectam

---

1) Qua cum Gellii sententia comparare mihi liceat Paul. Festi verba p. 378: *Uls Cato pro ultra posuit,* et Varronis l. l. V 15, 83: *et uls et cis Tiberim.* — Gellius l. l. in Sulpicio Apollinari nisus est, cuius verba se adferre profitetur.

2) *ἵ pronomen* Hertz.

esse. Velut dicitur, ut exemplum afferamus, παισί pro *παιδσί. Atque in verbis enuntiandis id potissimum spectaverunt, ne una eademque consona bis audita aures offenderet. Quam ob rem δρύφακτος dixerunt pro *δρύφρακτος alterna ρ littera suavitatis gratia detracta. His igitur causis adductus Priscianus[1]) Σάρδιος et Χαρύβδεως Graecos dixisse pro Σάρδιδος et Χαρύβδιδος sibi persuasit. Et Graecos non solum litteram verum etiam syllabam quibusdam verbis detraxisse ad sonum vocis levandum atque perpoliendum his quidem exemplis confirmetur: ἀλιτρός pro ἀλιτητρός, ἀλιτήριος pro ἀλιτητήριος, δατήριος pro δατητήριος, ζητρός pro ζητητρός, ἡμέδιμνος pro ἡμιμέδιμνος (Photii lex.), κέντωρ pro κεντήτωρ, κέντρον pro κέντητρον, ἀρνακίς pro ἀρνονακίς, κελαινεφής pro κελαινονεφής, καλαμίνθη pro καλαμομίνθη[2]), μῶνυξ pro μονῶνυξ, quam posteriorem formam scriptam legimus apud Herodianum Gr. Gr. III 1 p. 45; III, 2, II p. 743. Quae res, quam nos 'dissimilationem' dicimus, a Grammontio vd. Francogallico[3]) 'superposition syllabique' summo iure appellatur, quod perfacile fieri poterat, ut in verbo enuntiando duas vel pares vel similes syllabas praebente altera opprimeretur[4]). Neque in sermone Latino desunt dissimilationis vestigia. Velut dicitur *stipendium* pro *stipipendium*[5]), *medialem* pro *medidialem* (Paul. Fest. p. 124 O. Müller), *arcubii* pro *arcicubii* (Paul. Fest. p. 25 *arcubii qui excubabant in arce*), *portorium* pro *portitorium, cordolium* pro *cordidolium*[6]), *debilitare nobilitare* pro *debilitatare nobilitatare, semestris semodius veneficus* pro *semimestris semimodius veneneficus*[7]), *vicennium* pro *vicenennium*[8]), *trinundinum* pro *trinum nundinum*[9]).

---

1) GR. L. II 137, 3 sqq.

2) Cf. Leo Meyer: Vgl. Grammatik d. griech. u. lat. Sprache I 281.

3) Grammont: La dissimilation consonantique dans les langues indo-européennes et dans les langues romanes. Dijon et Paris 1895 (Revue Bourguignonne de l'enseignement supérieur V 4 p. 152 sqq.).

4) Cf. Brugmann, Grundriss I², qui p. 857 sq. Grammontii notionem 'superposition syllabique' nostro sermone 'Silbenschichtung, Silbenübereinanderschiebung' optime reddidit.

5) Cf. Varron. l. l. V 182: *stipendiarii, quod stipem pendebant.*

6) Cf. A. Fick: Ausfall der ersten von zwei gleich anlautenden Silben im Griechischen und Lateinischen (Kuhns Ztschr. XXII 98).

7) Cf. Fr. Stolz: Historische Grammatik d. lat. Sprache p. 333.

8) Cf. A. Fick, Kuhns Ztschr. XXII 372.

9) Cf. Fr. Skutsch: Forschungen zur lat. Gr. u. Metrik I 15.

Quam rationem in sermone latino plurimum valuisse inter viros doctos constat. Quid igitur mirum, quod grammatici rhetoresque de hac re quaestiones instituerunt! Velut Priscianus eumque secutus Eutyches persuasum habent 'nutrix' pro 'nutritrix' dici, ne syllaba 'tri' bis audita duriter sonet. Quae grammaticorum sententia, cum viris huius aetatis doctis minime displiceat, tamen in dubium videtur posse vocari. Et Michael Pokrowskij[1]), subtilissimus latini sermonis observator, argute sagaciterque de *nutricis* voce disputans negat atque pernegat nativam formam *nutritrix* esse, praesertim cum femininum, ut quod multo antiquius sit quam *nutritor,* secundum masculinum non sit factum. At neque propositi mei et longum videtur esse in tales controversias accuratius inquirere, quod nos de his rebus cogitantes persaepe aliter iudicamus atque veteres grammatici. Velut Priscianus *speculum* pro *speciculum, pandus* pro *pandidus, spopondi* pro *spospondi*[2]) euphoniae causa dici sibi persuasit. Similiter Augustinus adverbia *prudenter, praestanter, sapienter* pro *prudentiter, praestantiter, sapientiter* suavitatis gratia enuntiari arbitratus est.

Neque aliis de causis nisi euphonicis nonnulla verba syncopa adhibita pronuntiari grammatici censent. Augustinus igitur de adverbiis *audacter* et *difficulter* disputans ea ideo per syncopam a Romanis enuntiata esse dicit, ut suavitati satisfacerent. Quod ad *audacter* attinet, grammaticum vituperare nequimus, cum praesertim *audaciter* multo rarius occurrat quam forma *audacter*[3]). At in altero adverbio exponendo ut ad eius sententiam accedamus tantum abest, ut eam reiciamus. Nam *difficulter* non dici pro *difficiliter,* immo ab adiectivo *difficul* tractum esse nobis putandum est, nisi vero diffidimus Festo (p. 214), quippe qui *perfacul* antiquos et per se *facul* dixisse memoriae tradat. Contra bene dicit Cicero *quadrigam* melius sonare quam *quadriiugam.* Eandemque ob causam Priscianus *dego* pro *deago* et *bobus vi* syllaba subtracta suavitatis causa dici existimat. Idem spectantes Romani Macrobio teste, cum aliis perfectis *vi* syllabam detraxerint, tamen in aliis ad

---

1) Beiträge zur lat. Etymologie und Stammbildungslehre (Kuhns Ztschr. XXXV 227 sq.).

2) Quo cum perfecto, quem dissimilationis causa *spopondi* pronuntiari grammaticus recte dicit, conferas velim *scicidi steti* pro *scescidi *stesti. (Stolz, Hist. Gr. p. 282.)

3) Cf. Wagener-Neue: Formenlehre II[3] 685.

duritatem vitandam id facere non ausi dixerunt, ut exemplum afferamus, *nutristi* pro *nutrivisti*[1]), cum *casti* et *pasti* asperitatis causa non pronuntiaverint. Qua in re nescio an quaesiverit quispiam, quomodo factum sit, ut Romani *casti* et *pasti* formas non comprobaverint, imprimis cum *vituperasti laudasti* aliaque id genus verba *vi* syllaba subducta pronuntiare minime dubitaverint. Ita quaerenti respondeat Priscianus GR. L. II 508, 6sqq.: *Omnia tamen, quae praeteritum perfectum in vi terminant adiectam, frequenter invenimus per secundas et tertias personas syncopam paenultimae pati syllabae, cum ab u loco consonantis incipit, ut amavi, amavisti vel amasti, amavit, amavimus, amavistis vel amastis, amaverunt vel amarunt. — Ideo autem addidimus 'adiectam', quoniam, si in positione sit u consonans* (i. e. si ad verbi radicem v littera pertinet), *syncopam pati non potest, ut lavo lavi lavisti, non possumus dicere lasti, nec pro lavistis lastis, nec pro laverunt larunt. Similiter faveo favi favisti, nemo dicit fasti, nec pro fovisti fosti, nec pro solvisti solsti*[2]).

Etiam contractionem ad sonum vocis levandum nonnullis in verbis adhibendam esse iam Cicero vult, cui *isdem* melius sonare sit visus quam *iisdem.* Similiter Macrobius *nutribam* et *ibam* suavioris gratia soni subducta *e* vocali pronuntiari putat. Praeter haec contractionis exempla Priscianus verba *mi* et *tibicen* affert, quae suavitatis causa pro *mee* et *tibiicen* dici existimat. Quin etiam non usus, sed aurium gratia verba *axilla maxilla vexillum pauxillus* contracta esse in *ala mala velum paulus* Cicero sibi persuasit. Ad hanc oratoris sententiam facere non possumus, quin nonnulla adiciamus. Etenim ex aliis quoque locis apparet litteram x omnium auribus Romanorum offensioni fuisse. Velut talia legimus apud Augustinum[3]): *natura movetur* (sc. sensus) *in eo, quod offenditur, si quis nominet 'Artaxerxem' regem, vel mulcetur cum audit 'Euryalum'. Quis enim, etiamsi nihil umquam de his hominibus audierit, quorum ista sunt nomina, non tamen et in illo asperitatem maximam et in hoc iudicet esse lenitatem?* Idem cap. 6: *Hinc ad ipsarum inter se rerum similitudinem processisse licentiam nominandi, ut cum verbi causa crux propterea dicta sit, quod ipsius verbi*

1) Huius aetatis viri docti aliter de hac re iudicant.

2) A Prisciani regula discrepantes dixerunt Horat. sat. I 9, 47 *summosses*, sat. II 1, 44 *commorit*, Livius 37, 53, 25 *emostis*, Verg. Aen. IV 367 et Ovid. Ibis 236 *admorunt*, Lucret. II 766 *commorunt.*

3) De dial. cap. 7. ed. Crecelius.

*asperitas cum doloris quem crux efficit asperitate concordet* e. q. s. Quapropter Cicero verba *axilla maxilla vexillum pauxillus* contracta esse in *ala mala velum paulus* existimet, nos quidem intellegere non possumus, praesertim cum illae formae x litteram exhibentes re vera deminuta esse nomina nobis videantur [1]). Quae cum ita sint, facere nequimus, quin accedamus ad Nordeni [2]) sententiam, ut qui Ciceronem hac in re Varronem secutum esse coniecerit. Varronem enim x litteram putavisse asperam vel inde cognoscitur, quod *crux* et *trux* asperas esse voces dicit (de serm. Lat. fragm. 49 Wilm.).

Quod studium x litterae fugiendae Romanis commune fuisse cum Graecis e Dionysii Halicarnassensis verbis elucet. Scriptum enim legimus eius libri, quem inscripsit *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων* cap. 14: *ἄχαρι δὲ καὶ ἀηδὲς τὸ σ, καὶ εἰ πλεονάσειε, σφόδρα λυπεῖ. θηριώδους γὰρ καὶ ἀλόγου μᾶλλον ἢ λογικῆς ἐφάπτεσθαι δοκεῖ φωνῆς ὁ συριγμός. Τῶν γοῦν παλαιῶν σπανίως ἐχρῶντό τινες αὐτῷ καὶ πεφυλαγμένως. — τὸ μὲν γὰρ ξ διὰ τοῦ κ, (τὸ δὲ ψ διὰ τοῦ π) τὸν συριγμὸν ἀποδίδωσι ψιλῶν ὄντων ἀμφοτέρων.* Graecis igitur *σ* et *ξ* litterae propterea fuerunt odiosae, quod sibilum quendam auribus offensum efficiebant.

Neque alius rei nisi euphoniae causa *nescire* pro *non scire* Ciceroni in usu videtur esse, eiusque sententia *scripsere* multo suavius in aures incidit quam *scripserunt.* Hanc ad rem etiam pertinent illae voces, quae sub fine vocalem vel consonantem abiciunt. Dicitur enim *dic duc fac fer.* Quos imperativos euphoniae gratia pro *dice duce face fere* pronuntiari cum Quintilianus dicat, Albinus Magister [3]) differentiae causa per syncopam eos proferri sibi persuasit: *facio,* inquit, *imperativum facit fac differentiae causa, ne si face diceres, a nomine putaretur venire, quod est fax. similiter dic, duc et fer differentiae causa per apocopam proferuntur. nam si duce dice fere diceremus, aliud significare putaremur.* Reapse ridicula pueriliaque argumenta! Iure quaesiverit quispiam, cur Romani verbi dicendi imperativum non *dice* enuntiaverint, cum praesertim haec quidem forma praeter imperativum omnino non inveniatur. Immo e verborum conexu sententiaque plane apparere, quid sit horum, de quibus agitur,

---

1) Cf. Piderit, Cic. orat. p. 111 adnotat. 5: 'Die angeführten Wörter', inquit, 'sind aber wohl Deminutivformen'.

2) Cf. Antike Kunstprosa p. 58.

3) GR. L. VII 302, 22 sq.

verborum imperativus, quid substantivi ablativus vel adverbium neminem negare putaverimus. Quae cum ita sint, Romani in illis imperativis pronuntiandis e vocali ut vasta, languida, locutionem haud suaviter tardante neglecta *dic duc fac fer* dixisse videntur.

Quod ad nomina *cor lac sermo* attinet, inter omnes constat pro *cord lact sermon* ea dicta esse. Et optime de hac re iam I. N. Madvigius iudicavit eius libri, quem inscripsit 'Lateinische Sprachlehre für Schulen' (Brunsvigae 1844) paragrapho decima de euphoniae ratione verba faciens 'Das Streben', inquit, 'nach Wohllaut und bequemer Aussprache hat oft auf die Konsonanten der Wörter Einfluss und bewirkt Veränderungen in ihnen. Am Ende der Wörter (als Auslaut) wird kein Konsonant verdoppelt (also mel, fel, obgleich der Gen. mellis fellis heisst). Als Inlaut wird kein Konsonant vor einem andern verdoppelt, ausser muta vor liquida (effluo; aber falsum von fallo, cursum von curro). — Auch sonst ist am Ende eines Wortes ohne Beugungsendung ein Konsonant bisweilen weggefallen (sermo sermonis, cor cordis, lac lactis)'.

Restat ut commemorem Priscianum persuasum habere *finxi fictum, strinxi strictum, minxi mictum, frango fractum* aliaque verba n in supino suavitatis causa abiecisse. Iisdem de causis grammaticus arbitratus est vocem internecio[1]) aures maluisse quam *internectio*. Nos quamquam haec res non digna videtur quae fusius tractetur, tamen facere non possumus, quin miremur, cur Romani *proiectio, traiectio, interiectio* dicere non sint veriti. — Quod ad vocem *exsequor* attinet, Prisciano concedendum est eam sine *s* littera melius sonare. At hanc minime omnium Romanorum sententiam fuisse vix est quod dicam, cum praesertim *exsequi, exsisto* aliaque id genus verba haud raro cum *s* scripta inveniantur et Caesellius Vindex[2]) in his vocibus s scribendam esse putet. Quae cum ita sint, magni non esse momenti videtur, utrum talia verba cum *s* littera scribantur necne, quia *x* et *s* litteras enuntiandas semper in unum sonum coaluisse credere nobis licet[3]).

---

1) Cf. Festum, qui rectissime de huius vocis origine iudicat p. 110: *Internecio vitae privatio, interfectio, a nece denominato vocabulo.*

2) Cf. Cassiodorius GR. L. VII 203, 14 sq.

3) C. L. Schneider, Lat. Gr. I 555—558 et Brambach: Neugestaltung der lat. Orthographie p. 280.

Iam si locorum collectionem ad detractionem spectantium, quae nunc sequitur, perlustramus, hoc fere apparet: Romani sermonem natura vastum gravem durum [1]) levare atque polire studentes talibus verbis, quae impediebant, quominus oratio expedite celeriter leniter aequabiliter proflueret, litteram syllabamve subtrahere soliti sunt. Neque semper suavitatis tantum causa id eos fecisse vix est quod commemorem, cum praesertim id potissimum persaepe spectarent, ut verbum facile commodeque pronuntiare possent. Attamen id facientes eos plerumque verba totumque omnino sermonem auribus accommodasse ideoque euphoniae satisfecisse quis est, quin intellegat? Qua re factum esse nos quidem putaverimus, ut grammatici rhetoresque Romani illud studium verba mutandi corrigendique nullis e causis exortum esse dicerent nisi euphonicis.

Iam secuntur Romanorum testimonia ad detractionem spectantia:

Priscianus GR. L. II 140, 16 sqq.: *Nutritor quoque nutritrix debuit facere, quod euphoniae causa sive alternitatis mediam syllabam concidit: nutrix enim dicimus.*

Priscianus GR. L. III 494, 28 sqq.: *Solent autem in 'tor' verbalia in 'trix' facere feminina mutata or in rix, ut lector lectrix, amator amatrix, accusator accusatrix. in supra dicto vero* [2]) *euphoniae causa vel alternitatis, id est παραλληλότητος, tri syllaba subtracta est contra regulam. Cum nutritor enim sit masculinum, debuit femininum nutritrix esse, sed absurditas soni minuit syllabam.*

Eutyches GR. L. V 455, 29 sqq.: *Item bellator bellatrix, venator venatrix, fultor fultrix, victor victrix .... nutritor nutrix minus una syllaba propter euphoniam.*

Priscianus GR. L. II 125, 5 sqq.: *Inveniuntur etiam quaedam in 'culum' desinentia, quae a secunda derivantur persona, ut devertis deverticulum ... propugnas propugnaculum ... a simplici quoque, quod in usu non est, specio specis speculum pro speciculum per syncopam 'ci' euphoniae causa.*

Priscianus GR. L. II 136, 27 sqq.: *Excipitur alternitatis causa, quam Graeci ἐπαλληλότητα vocant, unum pando pandus, ne, si*

1) Cf. Quint. XII 10, 33 sq.: *Itaque tanto est sermo Graecus Latino iucundior, ut nostri poetae, quotiens dulce carmen esse voluerint, illorum id nominibus exornent. — Quare qui a Latinis exiget illam gratiam sermonis Attici, det mihi in eloquendo eandem iucunditatem et parem copiam.*

2) *vero* S, *verbo* CG.

*pandidus dicamus, male sonet alterna d in utraque continua syllaba, quod in multis solent tam Graeci quam nos evitare. Non dicunt illi Χαρύβδιδος, quamvis exigat regula, sed Χαρύβδεως. et Romani quoque illos secuti non dicunt 'huius Charybdidis' sed 'huius Charybdis'.*

Priscianus GR. L. II 481, 28 sqq.: *Spondeo spopondi, a quo etiam s in secunda demitur syllaba euphoniae causa.*

Augustinus GR. L. V 516, 42 sqq.: *Talia ne aspere sonarent, perdiderunt ultimam syllabam, ut a sapiente sapienter, non sapientiter, a prudente prudenter, non prudentiter, a praestanti praestanter, non praestantiter. sic ergo observemus, ut nec euphoniam applicemus ad regulam aut euphoniam reiciamus. nam euphonia, id est suavitas bene sonandi, admissa est ad latinum sermonem, ut aspera temperet; et ab arte et ratione recessum est, ubi asperitas offendebat auditum, sicut Cicero ait impetratum est a ratione, ut peccare suavitatis causa liceret.*

Augustinus GR. L. V 519, 8 sq.: *Sed ex his quaedam per syncopen euphoniae causa dicimus, ut audacter difficulter sapienter constanter.*

Cicero orat. 47, 157: *Et ... 'quadrigas' quam ... 'quadriiugas' libentius dixerim.*

Priscianus GR. L. II 525, 1: *Et 'dego' a per syncopam euphoniae causa protulit.*

Augustinus de dial. cap. 6: *Nemo abnuit syllabas, in quibus v littera locum obtinet consonantis, ut sunt in his verbis primae venter, vafer, velum ... quasi validum sonum edere. Quod approbat etiam loquendi sonsuetudo, cum quibusdam verbis eas subtrahimus, ne onerent aurem. Nam inde est quod amasti libentius dicimus quam amavisti et abiit, non abivit, et in hunc modum innumerabilia.*

Macrobius GR. L. V 639, 31 sqq.: *Sed interdum 'vi' syllaba, cum finalis est eamque vocalis praecedit, subtrahitur, ut nutrivisti nutristi ... non tamen semper hoc fieri necesse est: nam sunt quibus εὐφωνία memoratam syllabam subduci minime patitur, ut cavisti pavisti; casti pasti non dicitur.*

Priscianus GR. L. II 357, 13: *Excipitur etiam 'bobus', ut dixi, euphoniae causa pro bovibus.*

Priscianus GR. L. II 523, 7 sqq.: *A regendo composita, quamvis in praesenti syncopam e paenultimae patiantur, tamen in praeterito perfecto eam euphoniae causa servant, ut porgo porrexi, pergo perrexi, surgo surrexi.*

Cicero orat. 47, 157: *Isdem campus habet, inquit Ennius, et in templis isdem; at eisdem erat verius, nec tamen probavit ut opimius; male sonabat iisdem.*

Macrobius GR. L. V 639, 11 sqq.: *Omne praeteritum imperfectum eiusdem modi per universas coniugationes bam syllaba terminatur antecedentibus in prima quidem a, in secunda vero et tertia correpta e vocalibus . . . . . nisi quod in tertia producta nonnunquam suavioris gratia soni subducta e vocali profertur, ut est nutribam ibam.*

Priscianus GR. L. III 522, 5 sq.: *Composita a cano paenultimam corripiunt: excipitur tibicen, quod euphoniae causa pro duabus ii brevibus unam sonat longam.*

Priscianus GR. L. III 11, 4 sqq.: *Notandum tamen, quod meus, cum secundum regulam vocativum deberet facere 'o mee', euphoniae causa duas e breves in i longam convertit.*

Cicero orat. 45, 153: *Quin etiam verba saepe contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Quomodo enim vester Axilla Ala factus est, nisi fuga litterae vastioris? quam litteram etiam e maxillis et taxillis et vexillo et pauxillo consuetudo elegans Latini sermonis evellit.*

Cicero orat. 47, 157: *Nec vero reprehenderim: 'scripsere alii rem'; 'scripserunt' esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. — 'Non scire' quidem barbarum iam videtur, 'nescire' dulcius.*

Quintilianus inst. or. I 5, 42: *Quamquam fuerunt qui nobis quoque adicerent dualem scripsere, legere; quod evitandae asperitatis gratia mollitum est, ut apud veteres pro male mereris male merere.*

Quintilianus I 6, 21: *His adiciat face et dice et similia. Recta est haec via, quis negat? sed adiacet et mollior et magis trita.*

Priscianus GR. L. II 487, 20 sqq.: *Finxi fictum et pinxi pictum et strinxi strictum et minxi mictum euphoniae causa n in supino abiciunt, quamvis iunxi iunctum, tinxi tinctum . . . servent in supino quoque n.*

Idem GR. L. II 525, 10 sqq.: *Abiciunt tamen n euphoniae causa haec, quae paenultimam a habent vel i, ut frango fractum, pango pactum, tango tactum, fingo fictum, pingo pictum, stringo strictum, ringo rictum.*

Albinus Magister GR. L. VII 299, 24 sq.: *Coniunx secundum analogiam per n scribendum est; sed euphoniae causa n tollitur, et dicimus coniux.*

Priscianus GR. L. II 121, 22 sqq.: *In 'io' igitur terminantia plerumque a participiis fiunt praeteriti temporis, quorum genetivus assumpta o et correpta i facit huiusce modi nomina: oratus orati oratio . . . . internectus autem internecti internecio facit euphoniae causa abiecta t.*

Priscianus GR. L. II 51, 4 sqq.: *Exsequor, sic enim placet iis, qui de orthographia scripserunt, quamvis euphonia et ratio supra dicta de litteris secundum Graecos abicit s antecedente x.*

## III.

His absolutis iam disputetur de litteris euphoniae causa commutatis. Atque ita rem tractabimus, ut primum disseramus de consonantibus, dein de vocalibus mutatis. Qua in re cum inter omnes constet etiam in graeco sermone id genus litterarum vestigia correctarum haud raro inveniri, in medias res nobis eundum esse putamus idque ita, ut videamus, quomodo Romani hac in re consentiant cum Graecis.

Ac primum quidem *b* litteram euphoniae causa mutatam esse in *p* intellegimus e verbis *nubo scribo labor,* quippe quae *nupsi scripsi lapsus* faciant. Quae cum ita sint, miramur, quod *Arabs* non per *p* scriptum invenitur. At haec scriptura propterea non in usum recepta est, quod magis ratio est habita genetivi per b scripti quam aurium. Apparet igitur certamen fuisse de verborum scriptura. Atque inscriptiones antiquiores et Augusti aetatis nos docent Romanos illis quidem temporibus ita scripsisse, ut loquebantur. Sed grammatici Varro, Verrius Flaccus, Festus, ut alios mittam, scribendi rationem ad etymologiam accommodandam esse censuerunt. Quamquam dubitari non potest, quin *bs* et *bt* haud aliter pronuntiatum sit atque *ps* et *pt.* Itaque non defuerunt qui existimarent orthographiam re vera secerni non posse a consuetudine usuque loquendi. Quibus de causis Quintilianus [1]), quamquam loquendi regulam secernit a scientia recte scribendi, quam Graeci ὀρθογραφίαν vocant, tamen non dubitat, quin verbum *obtineo,* utpote quod aures magis per *p* quam per *b* audiant, melius per *p* quam per *b* scribatur haud ignorans orthographiam quoque

---

1) Cf. inst. or. I 7, 7.

consuetudini servire ideoque saepe eam mutatam esse mutandamque. *Quaeri,* inquit, *solet in scribendo praepositiones sonum, quem iunctae efficiunt an quem separatae observare conveniat, ut cum dico optinuit* (*secundam enim b litteram ratio poscit, aures magis audiunt p*).

Iam in eo est, ut paucis verbis exponamus suavitatis causa *b* litteram in verbis compositis per assimilationem vel ad primam verbi litteram accommodari vel in quandam similitudinem insequentis consonantis corrumpi. Velut dicitur et *occurro, offero, succurro, sufficio, suggero, summitto, summuto, supprimo, surripio* et *asporto, ostendo, sustulit* [1]). Intellegimus igitur *b* litteram semper in vocis sonum commutatam esse et ad commode loquendi facultatem accommodatam. Neque aliter *d* littera per assimilationem persaepe mutata est. Exempli gratia dicitur *accedo, affero, aggero, allino, annoto, appareo, arrogo, assumo, attingo.* Quibus de causis Priscianus intellegere nequit, qua re commoti scriptores modo *affectus, allido, assiduus,* modo *adfatur adludo, adrideo* dixerint. Et grammatico assimilatio semper adhibenda esse videtur. Quamquam nos, ut quibus nostris tantum auribus, non Romanorum uti liceat, de hac re ut arguta et quasi spinosa iudicare non possumus, tamen id quidem respiciendum esse censemus assimilatione adhibita euphoniam non semper, etsi saepissime, auctam esse, immo nonnunquam pronuntiationis celerioris commodiorisque facultatem ea effectam esse. Neque id obliviscendum esse putamus euphoniae notionem satis incertam esse. Itaque factum est, ut alii assimilationem commodioris enuntiationis, alii suavitatis causa adhibitam esse dicerent. Velut ipse Priscianus [2]): *transit,* inquit, *etiam* (scil. *n*) *in r, ut corrigo, corrumpo, irrito. hanc autem mutationem sciendum naturali quadam fieri vocis ratione propter celeriorem motum linguae labrorumque ad vicinos facilius transeuntium pulsus.* Contra Albinus Magister [3]) euphoniae causa talia fieri sibi persuasit.

Assimilationem in latino sermone haud aliter atque in graeco plurimam habere auctoritatem cum inter omnes constet longum est omnia verba ad hanc rem spectantia enumerare. Neque tamen supervacaneum esse nobis videtur in universum tractare primum talia verba, in quibus altera consonans in alterius naturam plane

---

1) Cf. I. N. Madvig l. l. § 173.
2) GR. L. II 31, 5 sqq.
3) GR. L. VII 295, 7 sqq.

transeat, deinde exponere, quomodo consonantium inter se dissimilium altera sono alterius similis sit facta. Velut Romani dixerunt 'accurro, annoto, cessi, corrigo, differo, irrito' praepositionis consonantem cum prima verbi littera in unum sonum confundentes eodem modo, quo Graeci, ut exemplo utamur, *σύν* praepositionem in *συρ* mutantes pronuntiaverunt *συρράπτω, συρρέω, σύρριζος, συρρίπτω σύρροος* et similia. De assimilationis ratione ut perspicua minimeque spinosa quamquam grammatici recte disputaverunt, tamen Priscianus in voce 'parricida' exponenda in difficultates incurrit. Mens enim grammatici intelligentiaque capere nequit, quae sit huius vocis origo. In dubio igitur relinquit, utrum vocabulo a pari composito r euphoniae causa addita sit, an a patre derivandum sit t littera in r conversa. Quae cum ita sint, tamen multum abest, ut dicta dicamus in grammaticum ut hominem minime cuncta doctum, quia etiam huius aetatis viri docti in eadem voce explicanda inter sese dissentiunt. Ab altera enim parte Ed. Meyer [1]) pāricidam nihil aliud significare putat nisi hominem, qui pares interfecerit. Quam sententiam Fridericus Stolz [2]) propterea comprobandam non esse censet, quod verbum păres a vocalem correptam et pāricida productam praebeat. Formas **păricida* et *pāricida* antiquissimis temporibus exstitisse ambas ei verisimile non videtur. Neque sententiam Quintiliani [3]), ut qui parricidam e patricida, quae forma in Ciceronis oratione de domo habita (cap. 26) scripta legitur, exortam esse sibi persuaserit, Stolz laudandam esse dicit, quamquam Landgraf [4]) et Bréal [5]) eam probaverunt. Immo Stolzio Froehdius [6]) rem acu tetigisse videtur, qui parricidam originem trahere a pāricida (langob. fara, gr. *πᾱός, πηός*) persuasum habet. Quam sententiam ut rectam recenter Aloisius Walde in vocabularium Latini sermonis etymologicum [7]) recepit. Apparet igitur Priscianum suo iure de huius vocis origine dubitasse. Iam ad propositum redeamus!

---

1) Cf. Geschichte des Altertums II 512.
2) Historische Grammatik I 224.
3) Inst. or. VIII 6, 35.
4) Rosciana p. 265 sqq.
5) Mémoires de la société de linguistique Parisiis 1868 XII 75.
6) Bezzenbergers Beiträge VIII 164.
7) Lateinisches etymologisches Wörterbuch, Heidelberg 1906.

Verba, in quibus altera consonans alterius sono non par est facta, sed quodam modo accommodata, multa inveniuntur. Grammatici afferunt haec: tantundem, tantidem, quicquam, quendam, quandam, eundem, eandem, quorundam, quarundam, locutus. Quin etiam Varro [1]) Accium secutus putat litteris g vel c sequentibus g pro n ponendam 'euphoniae causa' scribendumque esse 'aggulus, aggens, agguilla, iggerunt, Agchises, agceps'. Qua in re haud scio an grammaticum fugerit, quod Graeci *ἄγγελος* per *γ* litteram scribentes neque *γ* neque *ν* pronuntiaverunt [2]). Immo vocem illos enuntiasse mediam, quam nulla possent exprimere littera, recte putavit Nigidius Figulus [3]): *inter,* inquit, *litteram n et g est alia vis, ut in nomine anguis et angari et ancorae et increpat et incurrit et ingenuus: in omnibus enim his non verum n, sed adulterinum ponitur. nam n non esse, lingua indicio est; nam si ea littera esset, lingua palatum tangeret.* Similiter Marius Victorinus [4]): *anceps,* inquit, *ancilla, Angitia, angustum, anquirit, ancora* (*non iudicat per an*) *iam dixi Attium non per an* (quae verba Ritschelius sagacissime coniecit: mon. epigr. trium p. 25), *sed more Graecorum per ag solitum scribere. nunc adicio, sicut inter m et n litteras vox media tam Graecis desit quam nobis, ita inter n quoque et g deesse. neque enim illi, ἄγγελον et ἀγκάλην et similia sive per ν sive per γ scripserint, alterutram in pronuntiando litteram exprimunt, nec nos, supra dictas voces sive per n sive per g scribamus, proprie aut n exprimimus in dicendo aut g. quare vox, quoniam ordini litterarum nostrarum deest et familiarior est auribus nostris n potius quam g, anceps et ancilla et Angitia et angustum et anquirit et ancora et similia per n potius quam per g scribite.* Quibus e verbis apparet n sequente littera gutturali minus acute audiri. Qua re factum esse censemus, ut Accius *g* vel *c* sequente *g* pro *n* scribere voluerit. At eius sententiam a Romanis non comprobatam esse inter omnes constat. Priscianus [5]) igitur: *Graeci tamen,* inquit, *solent loco n ante γ vel κ vel χ positae hanc* (g) *ponere, ut ἄγγελος, Λογγῖνος, ἄγκιστρον, Ἀγχίσης; apud Latinos tamen servatur n, ut Longinus, Anchises.*

---

1) Cf. verba Prisciani quae exstant GR. L. II 30, 15 sqq.
2) Cf. Brambach l. s. s. p. 20.
3) Gell. N. A. XIX 14, 7.
4) GR. L. VI 19, 11 sqq.
5) GR. L. II 48, 13 sqq.

Satis multa de assimilationis ratione; sequitur, ut de dissimilatione quae dicitur pauca addam. Ac primum quidem dicendum est iam Graecos ad dissimilationem confugientes verba commutare studuisse ad suavitatem vocis augendam. Velut *τύφθητι, κεχειροτόνηκα, πεφίληκα* dixerunt aspiratam in tenuem mutantes. Theodosius [1]) *οὕτως οὖν*, inquit, *τυφθείς τύφθηθι ἔδει εἶναι, ἀλλὰ διὰ τὸ κακόφωνον τῆς ἐπαλληλίας τῶν δασέων τύφθητι φαμὲν διὰ τοῦ τ.* Eumque secutus Choeroboscus [2]) *τούτων*, inquit, *οὕτως ἐχόντων φασί τινες, ὡς οὐκ ὤφειλε τραπῆναι τὸ ϑ εἰς τ ἐν τῷ τύφθητι. οὐ γὰρ πάντως τρέπεται, ὅτε ἀλλεπαλληλία τῶν δασέων ἐστίν. ἰδοῦ γάρ ἐστιν* (ε 110, 133; η 251) *ἀπέφθιθον ἐσθλοὶ ἑταῖροι ... Ἔστιν οὖν εἰπεῖν, ὅτι ὥσπερ κακόν ἐστιν ἡ κλοπή, καὶ ὅμως οἱ μὲν φεύγουσιν αὐτήν, οἱ δὲ οὔ, οὕτω κακόφωνον μὲν ποιεῖ τὴν λέξιν ἡ ἀλλεπαλληλία τῶν δασέων, καὶ ὅμως τινὰ μὲν φεύγοντα αὐτὴν τρέπουσι τὸ ϑ εἰς τὸ τ, τινὰ δὲ μὴ φεύγοντα αὐτὴν οὐ τρέπουσι τὸ ϑ εἰς τ, ὡς τὸ ἀπέφθιθον.* Idem grammaticus *ἐὰν δέ*, inquit, *ἀπὸ βραχείας ἄρχηται ὁ παρατατικός, ἀναδιπλασιάζεται ὁ παρακείμενος. Ἀναδιπλασιασμὸς δὲ λέγεται, ὅτε τὸ ἑξῆς τῆς λέξεως σύμφωνον δὶς παραλαμβάνεται, οἷον ἔτυπτον τέτυφα, ἐπάτουν πεπάτηκα, ἐνόουν νενόηκα, ἐλάλουν λελάληκα, ἔσειον σέσεικα, ἔθυον τέθυκα, ἐφίλουν πεφίληκα, ἐχειροτόνουν κεχειροτόνηκα, τῶν δασέων εἰς τὰ ἀντίστοιχα ψιλὰ τραπέντων διὰ τὴν κακοφωνίαν* [3]). Similiter: *δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι οἱ διπλασιασμοὶ ἢ διὰ τῶν αὐτῶν συμφώνων γίνονται, οἷον τέτυφα, πεποίηκα, νενόηκα, πεπάτηκα, λελάληκα, ἢ διὰ τῶν ἀντιστοίχων τῶν ψιλῶν, οἷον τέθυκα, πεφίληκα, κεχειροτόνηκα. διὰ γὰρ δασέος οὐ γίνεται διπλασιασμὸς διὰ τὴν κακοφωνίαν* [4]). Iisdem de causis Graecos *ἐτέθην* dixisse et *ἐτύθην* Choeroboscus [5]) affirmans *δεῖ δέ*, inquit, *γινώσκειν, ὅτι ἀπὸ τοῦ τέθεμαι παρακειμένου, τραπείσης τῆς μαι συλλαβῆς εἰς θην, ἐθέθην ὤφειλε εἶναι ὁ παθητικὸς πρῶτος ἀόριστος. ἀλλὰ διὰ τὴν κακοφωνίαν τῆς ἐπαλληλίας τοῦ δασέος ϑ τροπὴ παρηκολούθησε τοῦ πρώτου ϑ εἰς τ, καὶ γέγονεν ἐτέθην, ὥσπερ τὸ τέθυμαι ἐθύθην καὶ ἐτύθην.* Graecos euphoniae causa *ἔρρανται*

1) Gr. Gr. edd. Uhligius et Hilgardus IV 1 p. 66, 19 sqq.
2) Gr. Gr. IV 2 p. 251, 14 sqq.
3) Gr. Gr. IV 2 p. 75, 24 sqq.
4) Gr. Gr. IV 2 p. 77, 13 sqq.
5) Gr. Gr. IV 2 p. 354, 9 sqq.

pro ῥέρανται dixisse e Thomae Magistri verbis cognosci potest: ἔρρανται, οὐ ῥέρανται διὰ τὸ εὐφωνότερον [1]). Haec tamen grammatici praecepta non ab omnibus esse observata ex nonnullis appareat exemplis. Scriptum enim videmus in Homeri Od. VI 59 τά μοι ῥερυπωμένα κεῖται, apud Pindarum (fragm. 318 B[4]) ῥερῖφθαι ἔπος, apud Anacreontem (fragm. 166 B[4]) ῥεραπισμένῳ νώτῳ. Quamquam Graecos perraro easdem duas consonas in duabus continuis syllabis iterasse recte Lobeckius [2]) dicit: 'nunc exsequar', inquit, 'quod his gravius, sed prioribus inobservatum est, Graecos haud facile committere, ut easdem duas consonas in duabus continuis syllabis iterent. Etenim nullum est illis vocabulum simplex et primitivum, quod cum latinis scisco, proprius comparari possit, non ita multa, quae cum vernaculis nostris Stillstand, dreidrätig, unvergleichlich, unausbleiblich'. Verba προπρηνής et τετράτρυφος ab Hesiodo usurpata ut composita cum latinis 'scisco proprius' simplicibus comparari non posse quis est, qui Lobeckio diffiteatur? Praeterea Graecos, quamquam μισθοῦσθαι, αἰσθέσθαι, ἠσθῆσθαι evitare non potuerunt, tamen ἠσθόμην dicere maluisse quam ἠσθέσθην ille iure contendit. Neque ullis aliis de causis nisi euphonicis βαστακτής pro *βασταστής et ἀργαλέος pro *ἀλγαλέος enuntiaverunt [3]).

Romanos quoque haud neglegenter id spectasse, ne unam eandemque litteram bis ponerent in eodem quidem verbo multis confirmatur exemplis. Velut dixerunt *caeruleus* et *Parilia* [4]) pro *caeluleus* et *Palilia, meridies* pro *medidies* [5]), *curculio* et *lacruma* pro **curcurio* et **racruma* [6]). Similiter *pluralis, liberalis, naturalis* dicitur, cum consuetudo auribus indulgens suffixo *ali* dissimilationis causa in *ari* commutato *alaris, exemplaris, solaris, talaris, familiaris*

---

1) Cf. Lobeckii l. s. s. p. 13.

2) L. s. s. p. 18 sq.

3) Cf. Leo Meyer l. s. s. I 214.

4) Cf. Paul. Fest. p. 222 et Marius Victorinus GR. L. VI 25.

5) Cf. Varr. l. l. 6, 4: *meridies ab eo, quod medius dies. d antiqui, non r in hoc loco dicebant, ut Praeneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in basilica Aemilia et Fulvia inumbravit.* — Huius aetatis viri docti nonnulli *meridies* a vocibus *merus* et *dies* derivandum esse censent.

6) Cf. Pott: Etymologische Forschungen ed. prim. II 96 sqq.

comprobaverit[1]). Priscianus igitur *meridies* pro *medidies* et *matutine* pro *manunine*[2]) dici persuasum habet.

Sed non consonantes solum, verum etiam vocales bis positas et Graeci et Romani ut asperitatem praebentes evitaverunt. Velut Aeoles, quamquam *Θόας Θόαις* dixerint, tamen duritatis vitandae causa non fecisse formam *Αἴαις* Choeroboscus[3]) affirmans *Δεῖ δέ*, inquit, *γινώσκειν, ὅτι οἱ Αἰολεῖς τὸ τάλας τάλαις λέγουσι καὶ τὸ μέλας μέλαις καὶ τὸ Θόας Θόαις προστιθέντες τὸ ῑ, τὸ δὲ Αἴας Αἴαις οὐ λέγουσι τῇ προσθέσει τοῦ ῑ διὰ τὴν ἐπαλληλίαν τῶν φωνηέντων, ἤγουν τῆς αι διφθόγγου; ηὑρίσκετο γὰρ ἀλλεπάλληλος ἡ αι δίφθογγος, καὶ ἐκ τούτου κακόφωνος ἐγένετο ἡ λέξις.* Item euphoniae causa Homerum *σπείους* dixisse, non *σπέευς*, quamquam formas *Ἐρέβευς* (Il. VIII 368) et *θάρσευς* (Il. XVII 573) poeta non sit aspernatus, Choeroboscus[4]) ratus *δύο δέ*, inquit, *μόνας γενικὰς ἐποίησεν εἰς ους ἐπὶ τῶν εἰς ος δηλονότι οὐδετέρων, τὸ* (*O* 4) *χλωροὶ ὑπὸ δείους ἀντὶ τοῦ ὑπὸ τοῦ δέους καὶ* (*ι* 330) *ἣ ῥα κατὰ σπείους κέχυτο, ἀντὶ τοῦ κατὰ τοῦ σπέους. τοῦτο δὲ ἐποίησεν οὐ διὰ τὸ μέτρον, καὶ εἰ εἰς ευς γὰρ ἐποίησε ταύτας τὰς γενικάς, ἡ αὐτὴ μακρὰ εὑρίσκετο, ἀλλὰ διὰ τὴν κακοφωνίαν τῆς ἐπαλληλίας τοῦ ε. ἔστι γὰρ δέος καὶ σπέος, καὶ εἰ ἐγένετο ἡ γενικὴ παρὰ τῷ ποιητῇ δέευς καὶ σπέευς, ἀλλεπαλληλία ἤμελλεν εἶναι τοῦ ε, καὶ τούτου χάριν τῇ εἰς ους γενικῇ ἐχρήσατο, φημὶ δὴ τῇ δέους καὶ σπέους, ἅτινα ἐν πλεονασμῷ τοῦ ῑ γίνονται δείους καὶ σπείους.*

Neque in latino sermone raro talia reperiuntur. Exempli gratia dixerunt praeter *rogitare clamitare* non *hiitare,* sed *hietare,* praeter *mitigare levigare* non *variigare,* sed *variegare.* Iisdem de causis ab alio non *aliinum,* sed *alienum* fecerunt. Priscianus igitur euphoniae causa *medietatem* et *pietatem* pro *mediitatem* et *piitatem* pronuntiari iure dicit. At de participiis 'iens' et 'quiens' disputans in errorem incidit. Falso enim putat *iens* et *quiens* pro *eens* et

---

1) Cf. F. Stolz, Historische Grammatik der lat. Sprache p. 236.

2) Qua cum re conferas velim sententiam Pokrowskiji, ut qui in eo libro, qui inscribitur 'Ztschr. für vgl. Sprachforschung' 35, 233 sqq. magna cum veritatis specie exposuerit matutinum non a mane, sed a *matuto derivatum esse.

3) Gr. Gr. IV 1 p. 126, 4 sqq.

4) Gr. Gr. IV 1 p. 358, 20 sqq.

*queens* dici, quia haec participia regulariter ab infinitivis *ire* et *quire* facta esse luce clarius est, cum eo et *queo* indicativi praesentis formae dictae sint pro **io* et **quio* i littera per assimilationem in e conversa.

Iam audiamus grammaticorum testimonia:

Priscianus GR. L. II 43, 14 sqq.: *Hoc tamen sciendum, quod principium syllabae omni modo pro ψ ps debet habere, ut psittacus, pseudulus, ipse; nubo quoque nupsi, scribo scripsi faciunt, quamvis analogia per b cogit scribere, sed euphonia superat, quae etiam nuptam, non nubtam, et scriptum, non scribtum compellit per p, non per b dicere et scribere.*

Priscianus GR. L. II 507, 19 sqq.: *In 'bor' deponentia mutant 'bor' in 'psum' et faciunt supinum, ut labor lapsum. Nulla autem alia causa est mutandae b in p ante s vel t in principio syllabae positae nisi euphonia, cuius ratio apud Graecos quoque observantissimos eius servata est in supra dictarum consonantium scriptura, ut κρύβω ἔκρυψα κέκρυπται, λείβω ἔλειψα λέλειπται.*

Cicero orat. 47, 158: *Quid, si etiam 'abfugit' turpe visum est et 'abfer' noluerunt, 'aufugit' et 'aufer' maluerunt?*

Priscianns GR. L. II 18, 13 sq.: *Nec mirum, cum b quoque in u euphoniae causa converti invenimus, ut aufero pro abfero.*

Priscianus GR. L. III 47, 24 sqq.: *Aufero, in quo b in u convertitur tam euphoniae quam differentiae causa, ne si affero dicas, ab 'ad' et 'fero' componi videatur.*

Priscianus GR. L. II 47, 26 sqq.: *Frequenter tamen invenimus f vel l vel n vel r vel s sequentibus d scriptam, ut adfatur, adludo, adrideo, adnitor, adsisto, adsumo. Errore tamen scriptorum hoc fieri puto quam ratione: nam quae sit differentia euphoniae, ut, cum eadem consonans sit sequens, in aliis transferatur d, in aliis non, scire non possum, ut, cum dicam affectus, allido et assiduus bene sonet, cum autem affatur, alludo, assisto, male.*

Velius Longus GR. L. VII 61, 16 sqq.: *Haec similiter littera* (sc. c) *geminatur in eo, quod est capio accipio. itaque Lucilius*

*atque accurrere scribas*
*d ne an c non est quod quaeras atque labores* [1]).

1) Cf. F. Dousa, Lucil. sat. reliq. p. 44, quippe qui *utque accurrere scribas* coniecerit; Schmidtius *accipere atque accurrere scribas* in textum recepit (Lucil. sat. l. IX 14, Berolini 1840); F. Marx: C. Lucilii carminum reliq. Lips. 1904 p. 26: *atque accurrere scribas D ne an c non est quod quaeras eque labores.*

*Ille quidem non putavit interesse scripturae. Sed si sonus consulitur, interest aurium, ut c potius quam d scribatur.*

Albinus Magister GR. L. VII 295, 7 sq.: *Saepe 'ad' euphoniae causa in sequentem mutabitur consonantem, ut afficio, affluo, allido, ammoneo, annuo, appono, arripio, assumo. alligo per duo l, annuo per duo n, appareo per duo p, attuli per duo t scribi debent.*

Priscianus GR. L. III 56, 18 sqq.: *Et sciendum, quod tunc dis praeponitur, quando sequitur c vel f vel p vel s vel t vel i loco consonantis, ut discumbo, discutio; differo, diffido, diffundo, in quibus s in f convertitur euphoniae causa.*

Quintilianus inst. or. I 7, 8: *Et immunis, illud enim, quod veritas exigit, sequentis syllabae sono victum m gemina commutatur.*

Priscianus GR. L. II 49, 19 sqq.: *Ergo rationabilius esse videtur, 'in' quoque, cum in quibusdam mutet n in r, ut irrito, irriguus, in reliquis quoque euphonia hoc exigente servare et irruo, irrumpo dicere, cum nec in simplicibus inveniatur dictionibus n ante r.*

Cassiodorius GR. L. VII 212, 2 sq.: *Multa enim respectu euphoniae propter subsequentes litteras probabiliter immutamus, ut illuminatio, irrisio, immutabilis, impius, improbus.*

Velius Longus GR. L. VII 65, 11 sqq.: *'Per' vero praepositio omnibus integra praeponitur, nisi cum incidit in l litteram, adfinem consonantem, quam elegantioris sermonis viri geminare malunt quam r litteram exprimere, ut cum pellabor malunt dicere quam perlabor. nec aliter apud Lucilium legitur*

**in praepositionem per l liciendo quod est inducendo geminat l pellicere malunt quam perlicere* 1).

Priscianus GR. L. II 26, 7 sqq.: *Parricida, quod vel a pari componitur vel, ut alii a patre; ergo si est a pari, r euphoniae causa additur, sin a patre, t in r convertitur.*

Priscianus GR. L. II 437, 19 sqq.: *Tantundem, tantidem praeterea, quod cum in nominativo sit ex duobus corruptis, in genetivo ex integro est et corrupto, sicut et quicquam cuiusquam et idem eiusdem. Euphoniae tamen causa haec fieri manifestum est, quomodo*

---

1) Cf. Lachmannus in Lucret. edit. p. 409: 'Lucilii', inquit, 'versus videtur in hunc modum emendari posse: in praepositio per Pelliciendo, hoc est in ducendo, geminato l, id est in pelliciendo, quod fit per praepositio, l litteram geminare debes'. F. Marx l. l. p. 26: *pelliciendu, quod est inducendus, geminat l.*

*et quendam et quandam, in quibus m, quae terminalis est accusativi casus utriusque generis, in n est conversa.*

Priscianus GR. L. II 589, 25 sqq.: *Mutatur enim m in n ante d euphoniae causa, ut eundem eandem, quod in aliis quoque compositis fieri solet propter eandem consonantem, ut quendam quandam, quorundam quarundam.*

Cassiodorius GR. L. VII 212, 7 sq.: *Quicquam c magis in prima syllaba ponendum est quam d propter euphoniam, quam praecipimus sequi.*

Albinus Magister GR. L. VII 304, 28 sq.: *Loquor loqueris loquitur per q scribenda sunt, locutus vero euphoniae causa per c et simplicem u scribatur.*

Priscianus GR. L. II 371, 5 sqq.: *Incommoditate vero vel inconsonantia, quam Graeci ἀσυμφωνίαν vocant, deficiunt quaedam, ut, si velimus ab eo, quod est cursor et risor, feminina facere secundum analogiam mutatione or in rix, absonum fit et incongruum naturae litterarum. Unde Cicero volens ab eo, quod est expulsor, proferre femininum, mutavit s in t et expultrix dixit Tusculanarum V 'o vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum'* [1]).

Priscianus GR. L. II 30, 12 sqq.: *Sequente g vel c pro ea* (sc. n) *g scribunt Graeci; et quidam tamen vetustissimi auctores Romanorum euphoniae causa bene hoc facientes, ut Agchises, agceps, aggulus, aggens, quod ostendit Varro in primo de origine linguae Latinae libro his verbis: ut Ion scribit, quinta vicesima est littera, quam vocant agma, cuius forma nulla est et vox communis est Graecis et Latinis, ut his verbis: Aggulus, aggens, agguilla, iggerunt. In eiusmodi Graeci et Accius noster bina g scribunt, alii n et g, quod in hoc veritatem videre facile non est. similiter agceps, agcora.*

Cicero orat. 48, 159: *Quid in verbis iunctis? Quam scite 'insipientem', non insapientem, 'iniquum', non inaequum, 'tricipitem', non tricapitem, 'concisum', non concaesum. ex quo quidam 'pertisum' etiam volunt, quod eadem consuetudo non probavit.*

Priscianus GR. L. II 136, 27 sqq.: *Excipitur alternitatis causa, quam Graeci ἐπαλληλότητα vocant, unum pando pandus* (cf. p. 19) . . . *Eiusdem vitii causa non dicimus ab eo, quod est 'mane' manunine, sed matutine. — praeterea pro medidies 'meridies' a medio die* [2]).

---

1) Tusc. V 5.

2) Cf. Cicer. orat. 47, 157 et Quintil. inst. or. I 6, 30.

Priscianus GR. L. II 127, 27 sqq.: *In 'as' pleraque denominativa sunt, quorum primitiva, si sunt secundae declinationis, genetivo, sin tertiae, dativo assumant 'tas', i paenultima ubique correpta; probus probi probitas .... et notandum, quod, quae i in genetivo duplicant, extremam earum mutant in e euphoniae causa, ut pius pii pietas, medius medii medietas.*

Anonymus GR. L. vol. suppl. p. 115, 34 sqq.: *Et notandum, quod quae in genetivo duplicant i, extremam earum mutant in e euphoniae causa, ut pius pii pietas, medius medii medietas, anxius anxii anxietas, socius socii societas.*

Priscianus GR. L. III 456, 21 sqq.: *Excipitur eo et queo, quae euphoniae causa iens pro eens et quiens pro queens faciunt et genetivo euntis pro ientis, queuntis pro quientis.*

## IV.

Satis multa de litteris euphoniae causa mutatis; sequitur, ut breviter exponamus qua re commoti in verbis declinandis sive coniugandis haud raro sibi non consistere visi sint Romani, quibus de causis interdum nominativum usurpavisse pro vocativo, denique quam ob rem nonnunquam neglexisse regulam dicantur.

Ac primum quidem inter omnes constat nonnulla verba modo secundo modo quarto declinari ordine. Velut dixerunt Romani *ab hac domo* et *ab his domibus*. Similiter pauca verba et secundae et tertiae declinationis casus praebent. Exempli gratia dicitur *ab hoc iugero, ab his iugeribus, ab hoc modio, horum modium,* et versa vice *ab hoc poemate, his poematis, ab hoc vase, his vasis.* Itaque grammatici talia verba utramque declinationem retinuisse 'euphoniae causa' sibi persuaserunt.

Huc etiam referendae sunt tales verborum compositiones, quae consuetudine per multa saecula comprobata tantopere sunt confirmatae, ut quaevis eorum mutatio quasi asperitas insuavitasve Romanis fuerit offensioni. Quam ad sententiam firmandam audiamus ipsa Ciceronis [1]) verba: *atque etiam a quibusdam sero iam emendatur antiquitas, qui haec reprehendunt; nam pro 'deum atque hominum' fidem 'deorum' aiunt. Ita, credo, hoc illi nesciebant: an dabat*

1) Cf. orat. 46, 155.

*hanc licentiam consuetudo?* Quibus igitur verbis Cicero cavillatione quadam, quae haud difficulter e vocula *sero* intellegi potest, reprehendit illos viros, qui analogistae dicuntur, quod vel ea, in quibus nemo offenderat, secundum analogiam vel proportionem mutanda esse censebant. Quae cum ita sint, nobis perponderandum erit, utrum analogia an anomalia sit comprobanda. Ac primum quidem dicendum est neque aequabilitatem neque inaequabilitatem omnino laudandam esse vel vituperandam, quia hae duae loquendi rationes haud ita inter sese discrepant, ut primo certe obtutu videri potest. Neque enim raro illas, de quibus agitur, rationes quodam modo inter se coniunctas esse idque ita, ut altera redundet in alteram, iam Varro [1]) cognovit, quamquam elegantiae sermonis ita non indulgebat, ut a Remmio Palaemone [2]) *porcus* appellaretur. Attamen analogiae rationes ipsas infirmitate levitateque minime vacasse vel inde apparet, quod aequabilitas magis magisque in naturam inaequabilitatis commutata in se ipsa collapsa est [3]).

Et aequabilitatem suavitatis causa interdum neglegendam esse inde concludi posse sibi videntur grammatici, quod non dicatur *magnior magnissimus,* sed *maior maximus,* non *facilissimus* et *simillissimus* quo modo *fortissimus,* sed *facillimus* et *simillimus. 'Namque plurima',* inquit grammaticus incertus [4]), *'in verbis, quae rancidule audiebantur, polita sunt, ut per anomaliam mollius sonarent quam per rectam regulam'.* Qua re Augustinus sine dubio adductus est, ut *gavisus sum* duritatis vitandae causa pro *gavisi* dictum esse censeret.

Suavitatis causa id quoque factum esse, ut nonnulla verba modo graecam retinerent declinationem modo ad latinam accommodarentur declinandi rationem grammatici putaverunt. Quibus de causis apud Terentium *Chremetem* legi, cum *Chremi* dativus poetae suavius sonare sit visus quam *Chremeti* Consentius persuasum habet. At hac in re grammaticos non semper inter se consentire vel inde apparet, quod Phocas genetivi formas graecas *Didus, Mantus,*

---

1) Cf. l. l. IX 2: *ii qui in loquendo partim sequi iubent nos consuetudinem, partim rationem, non tam discrepant, quod sonsuetudo et analogia coniunctiores sunt inter se quam iei credunt.*

2) Cf. Sueton. vit. Palaem: *arrogantia fuit tanta, ut M. Varronem porcum appellaret.*

3) Cf. H. Steinthal: Gesch. der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern II ² 159 sq.

4) GR. L. V 542, 21 sq.

*Eratus, Calypsus, Themistus* dulcius in aures incidere censet quam latinas, cum Charisius[1]) *Didonis* melius dicendum esse quam *Didus* contendat.

Romanos auribus consulentes nominativum *Iuppiter* dixisse, cum alios verbi casus a forma *Iovis* derivavissent, Quintilianus sibi persuasit. Et ita iudicasse videtur, quod antiquos utramque formam plenam declinasse Pompeius[2]) testatur: *hoc ipsum etiam quod diximus, hic Iuppiter et huius Iovis, apud antiquos libros invenimus plenas declinationes, hic Iuppiter, huius Iuppitris, huic Iuppitri. legimus in Capro hic Iovis, huius Iovis. etiam Naevius, Attius, Pacuvius, omnes isti utuntur hoc exemplo.*

Eiusdem euphoniae causa genetivum pluralem *patrumfamilias,* quo *patrumfamiliarum* forma a proportione probata multo vastius sonaret opimiusque, in usum receptum esse Charisius affirmavit. Quid mirum, quod Priscianus *alterutra, alterutrum, alterutrius* suavius enuntiari dicit quam *altera utra, alterum utrum, alterius utrius.* Nos quidem cum non ignoremus *altera utra, alterum utrum, alterius utrius* interdum scripta inveniri, tamen negare nequimus formas syncopa factas multo saepius esse usurpatas quam integras. Praeterea nunquam *alteri utri,* semper *alterutri* legitur et in plurali numero reperiuntur illae tantum formae, quae vocula *alter* integra manente *utrius* verbum declinant[3]).

Huc etiam pertinent ea quae apud Servium de participiorum ablativo scripta leguntur. Putat enim grammaticus ablativum singularem tertiae declinationis interdum suavitatis causa in *i* desinere pro *e,* ut *amanti* pro *amante.* Praeterea nonnulla verba composita euphoniae causa alio enuntiari sono atque a regula exacto itaque ab altera parte *asséveras, erádicas* (neglecta quantitate) ab altera *calefácis* pronuntiari grammatici recentissimae aetatis affirmant. Neque aliter iudicandum esse de vocibus *ĭndoctus* et *īnsanus,* quarum altera brevi altera producta prima syllaba pronuntiatur, Cicero persuasum habet, ut qui *ĭnhumanus, īnfelix, cŏnposuit, cōnsuevit, cŏncrepuit, cōnfecit* proferri dicat ideo, ut aurium voluptati satisfieret. Apparet igitur haud dubie *in* et *con* praepositiones litteris *f* vel *s* sequentibus suavitatis causa producte

1) GR. L. I 63, 17 sqq.
2) GR. L. V 187, 8 sqq.
3) Cf. Wagener-Neue l. s. s. II³ 542.

pronuntiari, cum praesertim regula tale quid comprobare non possit[1]).

Etiamsi longa disputatione opus non esse videtur, tamen non plane omittendum esse censemus id quod Gellius N. A. XIII 21 (20) de euphoniae ratione observavit. Ibi enim, ut alia mittamus, Vergilium accusativum pluralem modo *urbis* modo *urbes* usurpasse contendit, prout verborum sententia et voces proximae postulaverint. Poetae versus sunt hi: georg. I 25: *Urbisne invisere Caesar Terrarumque velis curam* et Aen. III 106: *Centum urbes habitant magnas. Verte enim,* inquit, *et muta, ut urbes dicas, insubidius nescio quid facies et pinguius.* Ad alterum autem versum: *Hic item muta, ut urbis dicas, nimis exilis vox erit et exsanguis, tanta quippe iuncturae differentia est in consonantia vocum proximarum.* Et recte iudicavit Gellius! *Urbis* enim optime ad verbum *'invisere'* quadrare, cum alter versus voce *urbes,* quippe quae praeclare consonet cum ceteris versus verbis, in *urbis* mutata multum ponderis gravitatisque deperdat, quis est quin concedat? Similiter Vergilium *tris* et *tres, hic finis* et *haec finis,* Ennium *rectos cupressos* pro *rectas cupressos, aere fulva* pro *aere fulvo* dixisse suavitatis causa Gellius sibi persuasit. At non est propositi mei de his rebus ut spinosioribus et, ut ita dicam, captiosis accuratius disputare. Quamquam commemorare mihi liceat Gellium cum his, quos attulimus, locis comparasse Homeri verba ψῆρας et ψαρῶν. *Illud vero*, inquit, *cumprimis apud Homerum veteres grammatici adnotaverunt, quod, cum dixisset quodam in loco κολοιούς τε ψῆράς τε* [2]), *alio in loco non ψηρῶν τε, set ψαρῶν dixit: Τῶν δ' ὥς τε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν* [3]) *secutus non communem, sed propriam in quoque vocis situ iucunditatem; nam si alterum in alterius loco ponas, utrumque feceris sonitu insuave.*

Gellius etsi recte dicit Homerum, cum diceret altero quidem loco ψῆρας, altero ψαρῶν propriae in quoque verbi loco suavitati indulsisse, tamen in ambiguo relinquit, quibus de causis poeta ita, non aliter dixerit. Et facere non possumus, quin consentiamus cum L o b e c k i o[4]), utpote qui rem acu tetigerit. Homerum enim

---

1) Cf. orat. 48, 159.
2) Il. XVI 583.
3) Il. XVII 755.
4) L. s. s. p. 20.

*ψῆρας*, non *ψᾶρας* ideo usurpasse contendit, ne duae deinceps audirentur *α*. Rem ita sese habere vel inde apparet, quod scholiasta ad illos Homeri locos adnotat: Il. XVI 583 *ψῆρας διὰ τὸ κακόφωνον τοὺς ψᾶρας. ἐκεῖ δὲ ὡς τὸ ψαρῶν.* Il. XVII 755 *ψαρῶν διὰ τὴν εὐφωνίαν. ἐκεῖ δὲ κολοιοὺς ψῆράς τε.*

Age vero iam videamus, qua re commoti Romani nonnunquam nominativo sint usi pro vocativo. Et grammatici omnes inter sese consentiunt id euphoniae causa fieri. Ad hanc sententiam confirmandam attulerunt haec exempla: *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum* [1]) et *Degener o populus vix secula longa decorum Sic meruisse viris* [2]). Quod ad verba *degener o populus* attinet, nos quidem, ut ea vocativum putemus tantum abest, ut nominativum esse contendamus, quia hoc quidem loco non appellatio est, immo exclamatio. Neque tamen dubitari posse, quin vocativus interdum in *us* desinat, ex his nescio an eluceat exemplis: Horat. carm. I 2, 42: *almae filius Maiae;* Ovid. Fast. 4, 731: *i, pete virginea, populus, suffimen ab ara;* Liv. I 24, 7: *audi tu, populus Albanus;* Liv. VIII 9, 4: *agedum pontifex publicus populi Romani, praei verba* [3]). Sequantur nunc testimonia.

Diomedes GR. L. I 308, 3 sqq.: *Meminerimus autem quaedam nomina vel auctoritate veterum vel euphonia modo secundo modo quarto ordine declinari, ut domus, ficus, laurus, quercus et complura arborum nomina.*

Aelius Donatus GR. L. IV 378, 34 sqq.: *Contra hanc regulam invenimus ab hac domo domorum domibus et ab hoc iugero iugerorum iugeribus. Sed scire debemus multa quidem veteres aliter declinasse, ut ab hac domu harum domuum domibus et ab hoc iugere iugerum iugeribus. Verum* [4]) *euphoniam in dictionibus plus interdum valere quam analogiam vel regulam praeceptorum.*

Diomedes GR. L. I 307, 17 sqq.: *Pauca admodum normae suae dissentiunt. Invenimus enim ab hoc modio horum modium, item ab hoc nummo horum nummum, ab hac domo domorum domibus, ab hoc iugero iugerum iugeribus,* [*ab hoc vase horum vasorum his et ab his* [5]) *vasis, ab hoc schemate horum schematum his et ab his schematis*].

---

1) Verg. Aen. VIII 77.
2) Lucan. Phars. II 116.
3) Cf. Wagener-Neue l. s. s. I³ 132 sqq.
4) *Verum meminerimus euphoniam P.*
5) *et ab his* om. AM.

*Verum euphoniam in dictionibus plus interdum valere quam analogiam vel regulam praeceptorum invenies.*

Charisius GR. L. I 123, 3 sq.: *Aenigmatis Varro de utilitate sermonis IV. ait enim Plinius, quamquam ab hoc poemate his poematibus facere debeat, tamen consuetudini et suavitati aurium censet summam esse tribuendam.*

Consentius GR. L. V 354, 11 sqq.: *Quae et ipsa regula exceptionem quorundam nominum recipit, quae dativum et ablativum pluralem non in 'is', sicut diximus, sed in 'bus' mittunt, ut ab hac domo, ab hoc iugero, domibus iugeribus. quae tamen varietas declinationis ex auctoritate veterum exorta est. illi enim ablativum et ab hac domu et ab hoc iugere declinabant, quam declinationem secuta est ratio, ut dativus et ablativus pluralis in 'bus' terminentur. sed euphonia, quae plus in vocibus valet quam regula*[1]*, in plurali numero antiquam rationem*[2] *retinet, cum declinationem ablativi singularis abiecerit.*

Cledonius GR. L. V 47, 7 sqq.: *Quia antiqui domum et secundae declinationis declinabant et quartae; dicebant et ab hac domo domorum [et Terentius*[3] *'domo me eripuit'], ut Vergilius*[4] *'turres ac tecta domorum', et ab hac domu domuum sicut versuum, ut Iuvenalis*[5] *'viscera magnarum domuum', quia quod nos habemus quartae declinationis, illi secundae habebant. — Verum euphoniam: euphoniam in declinandis nominibus intellegimus potius suavitati quam rationi obsequi.*

Anonymus GR. L. vol. suppl. p. 245, 31 sqq.: *Praeceptorum regula est, ut diceremus his domis et iugeris, sed quia euphonia plus valet, dicimus his domibus et iugeribus.*

Consentius GR. L. V 354, 27 sqq.: *Quae regula in quibusdam nominibus discretionem recipit, ut ab hoc vase, genetivum pluralem horum vasorum facit, dativum et ablativum vasis. sed et hic euphoniae ratio varietatem regulae attulit. . veteres enim ablativum singularem ab hoc vaso, non ab hoc vase declinabant.*

Incertus GR. L. vol. suppl. p. 77, 16 sq.: *Exigebat enim qualitas vocem aequalem esse et convenientem, ut magnus magnior magnissimus . . . . . sed hoc ars non permittit. Nam euphoniae ratio inaequalitatem deposcit.*

---

1) *quam regula* codices non praebent.

2) *pluralis numeri antiquam rationem L. declinationem B.*

3) Adelph. II 1, 44.

4) Aen. II 445.

5) Sat. 3, 72.

Incertus GR. L. V 536, 6 sq.: *Ab hac regula defecerunt pauca euphoniae gratia, ut 'facillimus' dicas, non facilissimus quo modo fortissimus, et simillimus, non similissimus.*

Augustinus GR. L. V 514, 40 sqq.: *Sane artium scriptores adiecerunt aliam verbi speciem, quam vocaverunt neutropassivam, sed hoc novellum genus verbi euphonia invenit, et in paucis est verbis, ut gaudeo. Quoniam durum erat, ut diceremus praeterito tempore gavisi, mutaverunt illi sonum de praeterito tempore passivi verbi, gaudeo gavisus sum, sic audeo ausus sum, soleo solitus sum, sic fido fisus sum.*

Albinus Magister GR. L. VII 297, 2 sq.: *'Abs' tamen in compositione saepius propter euphoniam integra manet, ut abs te, abscondo melius sonat quam ab te vel abcondo; sicut melius sonat 'ab urbe' quam abs urbe.*

Consentius GR. L. V 356, 14 sqq.: *Nam prout generis ratio suadet, per ablativi e litteram genetivus pluralis exit in ium vel in um moderante euphonia, qua in hac praecipue regula declinationes directae sunt et a genere ad genus saepe usurpatae. ut puta ab hoc hoste hostium dicimus, cum nulla regula in ium exigat, quia masculinum hoc genus est. sed cum ab hac hoste harum hostium dicamus, secundum regulam feminini generis hostium praesumimus, quod ita etiam euphonia persuadeat.*

Consentius GR. L. V 365, 13 sqq.: *Denique interdum . . . . a plerisque auctoribus quaedam ex his duplici modo declinantur, et tamquam ad graecam similitudinem et tamquam ad latinam, ut 'iubeo Chremetem'* [1]) *et postea 'etiam puerum inde abiens conveni Chremi'* [2]). *atque haec omnia ita dicta sunt, ut sciamus maxime euphoniam sequendam.*

Phocas GR. L. V 424, 19 sqq.: *O littera finita propria sunt generis feminini, quae translata in latinam linguam nihilo minus graecam declinationem obtinent, ut Dido, Manto, Erato, Ino, Calypso, Themisto. Declinantur enim hoc modo: haec Dido, huius Didus, huic Dido, hanc Dido, o Dido, ab hac Dido. Errant enim, qui Didonis aut Mantonis genetivum dicunt, cum et vocis asperitas et veterum auctoritas eiusmodi declinationem repudiat.*

Quintilianus inst. or. I 6, 25: *Cum illud etiam accidat, ut quae-*

---

1) Cf. Terent. Andr. III 3, 1.

2) Andr. II 2, 31.

*dam pluraliter non dicantur, quaedam contra singulari numero, quaedam casibus careant, quaedam a primis statim positionibus tota mutentur, ut Iuppiter. Quod verbis etiam accidit, ut illi fero, cuius praeteritum perfectum et ulterius non invenitur. Nec plurimum refert, nulla haec an praedura sint.*

Priscianus GR. L. II 82, 10 sqq.: *Inveniuntur tamen auctoritate veterum vel euphoniae causa et maxime in propriis quaedam non servantia supra dictas regulas, ut Ligus Liguris Ligurinus, non Ligurianus, Censor Censoris Consorinus, non Censorianus.*

Charisius GR. L. I 107, 9 sqq.: *Pater familias et mater familias antiqui magis usurpaverunt propterea, quod nominativo singulari s litteram adiciebant, ut facerent genetivum haec familia, huius familias .... Sed emendatius .... familiae dicimus. quod ne celebraretur Sisenna effecit. ait enim eum qui diceret paterfamiliae etiam pluraliter dicere debere patresfamiliarum et matresfamiliarum; quod quoniam erat durum et longe iucundius patrumfamilias sonabat, etiam paterfamilias ut diceretur, consuetudo comprobavit.*

Priscianus GR. L. II 181, 1 sqq.: *Unum apud Latinos invenitur nomen, quod quamvis ex duobus sit nominativis compositum, non ex utraque parte declinatur, id est 'alteruter alterutrius' .... Cum igitur femininum et neutrum supra dicti nominis ex corrupto et integro sint composita, hiatus causa et euphoniae 'alterutra' pro altera utra et 'alterutrum' pro alterum utrum, et necessario extrinsecus habuerint declinationem, id est alterutrius.*

Servius GR. L. IV 417, 3 sqq.: *Participia autem masculini et neutri secundae sunt declinationis, feminini primae, omnis tertiae, in quo ablativus et i et e terminatur, ut amanti amante. Sed scire convenit, quod ars exigat, ut e littera terminetur; i autem ubi fuerit terminatus ablativus huius participii, necessitas est aut metri aut euphoniae.*

Incertus GR. L. vol. suppl. p. 177, 7: *Assevero asseveras, persevero perseveras, eradico eradicas longa sit naturaliter paenultima et tamen propter eufoniam accentum habet antepaenultima, et e contrario calefacis, fervefacis, arefacis, tepefacis, labefacis, madefacis accentum habet paenultima.*

Cicero orat. 48, 159: *Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura sed quodam instituto? 'Indoctus' dicimus brevi prima littera, īnsanus producta, ĭnhumanus brevi, īnfelix longa. Et, ne multis, quibus in verbis eae primae litterae sunt, quae in 'sapiente' atque*

*'felice'*, *producte dicitur 'in', in ceteris omnibus breviter. Itemque cŏnposuit, cōnsuevit, cŏncrepuit, cōnfecit: consule veritatem, reprehendet; refer ad aures, probabunt. Quaere cur? ita se dicent iuvari. Voluptati autem aurium morigerari debet oratio.*

Gellius N. A. II 17, 3: *Manifesta quidem ratio suavitatis est in his vocibus, de quibus Cicero* (orat. § 159) *locutus est. Sed quid dicemus de praepositione 'pro', quae, cum produci et corripi soleat, observationem hanc tamen M. Tullii aspernata est? Non enim semper producitur, cum sequitur ea littera, quae prima est in verbo 'fecit', quam Cicero hanc habere vim significat, ut propter eam rem 'in' et 'con' praepositiones producantur. Nam 'proficisci' et 'profugere' et 'profundere' et 'profanum' et 'profestum' correpte dicimus, 'proferre' autem et 'profligare' et 'proficere' producte.*

Consentius GR. L. V 356, 25: *Plerique omnes has regulas, quae genetivum in 'ium' mittunt, dicunt etiam accusativum pluralem in 'is' mittere, ut has puppis, hos montis, hos optimatis; sed in hoc quoque sequenda est euphonia. pleraque enim ex omnibus istis regulis consuetudine cernimus immutata.*

Phocas GR. L. V 429, 21 sqq.: *Cetera in 'us' potius quam in e syllabam exeunt, ut hic populus, o populus: Sic Lucanus 'degener o populus'* [1]). *sed et o popule lectum est: lucus, o lucus. quae a veteribus propter asperitatem vocis minime usitata sunt, adeo ut rara huius modi declinationis reperiantur exempla: haec myrtus o myrte Vergilius* [2]) *declinavit 'et tu proxima myrte'*.

Priscianus GR. L. II 305, 16 sqq.: *Est tamen, quando nominativo quoque in 'us' terminante pro vocativo sive metri sive euphoniae causa utuntur. Vergilius in VIII 'Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum'* [3])*, Lucanus in II 'Degener o populus vix secula longa decorum Sic meruisse viris'.*

Priscianus GR. L. III 511, 31 sq.: *Euphoniae tamen causa vel metri est quando nominativis utuntur pro vocativis, ut deus pro dee, fluvius pro fluvie.*

Incertus GR. L. vol. suppl. p. 104, 25: *Est tamen, quando nominativo in us terminato pro vocativo sive metri sive euphoniae causa utuntur, Lucanus: Degener o populus*

---

1) Phars. II 116.
2) Bucol. 2, 54.
3) Aen. VIII 77.

## Appendix.

1. Paucis nunc agamus de hiatu, qui utrum a Romanis suavitatis causa sit adhibitus an propter asperitatem evitatus dubitatum est. In universum dicendum est Romanos hiatum ut asperitatem exhibentem atque orationem haud iucunde suaviterque tardantem quacunque ratione vitandum esse putavisse [1]). Cuius rei, ne haec nostra potius sententia quam Romanorum videatur esse, testem facere mihi liceat Ciceronem, cum hiatum in scriptis non tam ipse ut vitiosum fugerit quam reiciendum spernendumque esse docuerit: cuius audiamus verba [2]): *Ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. Quamvis enim suaves gravesve sententiae, tamen, si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures, quarum est iudicium superbissimum. Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere*; de or. III 43, 172: *Id adsequemini, si verba extrema cum consequentibus primis ita iungentur, ut neve aspere concurrant neve vastius diducantur'.* Ex his apparere verbis hiatum, ut quo verba vastius distrahantur, spernendum esse haud aliter atque consonantium commissuram asperarum ut insuavem auresque offendentem fugiendam quis est, quin confiteatur? Summo igitur iure Hermannus Kraffert de vocibus latini sermonis absonis quaestiones instituens 'als eine Kakophonie', inquit, 'sehr gewöhnlicher Art ist auch der Hiatus zu betrachten, und wenn Cicero off. III 5 schreibt: *haec te assidue audire atque accipere,* so wird das schwerlich für wohlklingend gelten' [3]).

Auctor quoque ad Herennium [4]) vocalium concursum ut asperum aspernatus *compositio,* inquit, *est verborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. ea conservabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt, ut haec est: baccae aeneae amoenissimae impendebant.*

---

1) Cf. C. L. Schneider l. s. s. I 165 sqq.

2) Orat. 44, 150.

3) Cf. Kakophonieen im Lateinischen (Ztschr. f. d. Gymnasialwesen XXXI 713—733).

4) IV 12.

Ciceronem secutus Quintilianus [1]) reprehendit hiatum: *tum vocalium concursus; qui cum accidit, hiat et intersistit et quasi laborat oratio. Pessime longae, quae easdem inter se litteras committunt, sonabunt. Praecipuus tamen erit hiatus earum, quae cavo aut patulo maxime ore efferuntur.* Item M. Plotius Sacerdos [2]) hiatum in sermonis vitiis enumerans *hiulcatio est,* inquit, *si finiatur in vocalem oratio et excipiatur a vocali, quod facit hiare dictionem, ut 'insulae Ionio in magno'* [3]). Similiter Diomedes [4]): *iunctura igitur apte convenire et sine hiatu verborum construi debet . . . . . item ne praecedentis verbi extrema vocalis vocalem primam inlidat* [5]) *verbi sequentis, ut si dicas: aere emit, illi incumbit, fore omnia et similia. hiat enim iunctura, quae structior pleniorque fieret, si consonantes vocalibus adplicarentur, aere mercatur, illi totus incumbit, fore cetera. magis autem structura patet, cum in se longae vocales incidunt, ut Thebae Aegyptiae, profugo Aeneae.*

Huc etiam pertinere mihi quidem videntur Prisciani [6]) verba: *nos quoque hiatus causa interponimus v loco Ϝ, ut Davus, Argivus, pavo, ovum, ovis, bovis. hoc tamen etiam per alias quasdam consonantes hiatus vel euphoniae causa solet fieri, ut 'prodest', 'comburo', 'sicubi', 'nuncubi', quod Graeci quoque solent facere μηκέτι, οὐκέτι.*

Etiam Graecos hiatum vitasse vix est quod dicam [7]). Isocratem enim vocalium concursum ut summum vitium diligentissime fugisse e Dionysii Halicarnassensis [8]) verbis cognosci potest: φωνηέντων μὲν γὰρ ἀντιτυπίαν οὐκ ἄν τις οὐδεμίαν εὕροι, ἐν γοῦν οἷς παρεθέμην ἀριθμοῖς, οἴομαι δ' οὐδ' ἐν ὅλῳ τῷ λόγῳ (Areopagiticum dicit). Ipsa Isocratis verba ad hiatum spectantia, quae Ioannes Siciliota memoriae tradidit, sunt haec: δεῖ τῇ μὲν λέξει τὰ φωνήεντα μὴ συμπίπτειν. χωλὸν γὰρ τὸ τοιόνδε [9]). Praeterea e multis grammaticorum locis intellegi potest vocalium concursationem non esse admittendam. Velut Dionysius Thrax [10]) ἡ δέ, inquit, ἀπόστροφος

1) Inst. or. IX 4, 33.
2) GR. L. VI 454, 19 sq.
3) Cf. Vergil. Aen. III 211.
4) GR. L. I 466, 26 sqq.
5) *includat* ς *indicat* ABM.
6) GR. L. II 17, 16 sqq.
7) Cf. Fr. Benseler: De hiatu in scriptoribus Graecis Freiberg 1841.
8) De comp. verb. cap. 23.
9) Cf. Walz: Rhet. Graec. VI 156, 19 sq.
10) Gr. Gr. I 1 p. 112, 5 sqq.

*τίθεται, ὅτ' ἂν διὰ τὴν καλλιφωνίαν κουφίζηται τὸ ἓν φωνῆεν γράμμα, ὁπηνίκα δύο φωνήεντά εἰσιν ἐν μιᾷ λέξει, οἷον οὐχ' οὕτως, ⟨⟨οἱ ἀσεβεῖς οὐχ' οὕτως⟩⟩* (Psalm. 1, 4). *ἥρμοζεν γὰρ οὐχὶ οὕτως ⟨⟨οἱ ἀσεβεῖς οὐχὶ οὕτως⟩⟩. ἀλλὰ διὰ τὴν καλλιφωνίαν ἐκουφίσθη τὸ ι, καὶ ἀντ' αὐτοῦ εἰσῆλθεν ἄνωθεν ἡ ἀπόστροφος.* Qua in re Dionysius quamquam vocalium concursionem ut asperam vitandam esse iure dicit, tamen in errorem incidit, quia in verbis *οὐχ οὕτως* scribendis apostrophum ponendam esse falso putavit. *Οὐχ οὕτως* enim littera *χ* posita hiatus evitandi causa dictum esse luce clarius est. Quod quidem iam scholiasta [1]) in commentario in artem Dionysianam conscripto recte observavit: *ἰστέον δέ, ὅτι τὸ οὐχὶ ἐπέκτασις μέν ἐστι τῆς οὔ .... ὀξύνεται δὲ καὶ οὐδέποτε ἀποβολὴν τοῦ ι πάσχει, ὥς φησιν Ἡρωδιανός. διὸ τὸ οὐχ ἡμῶν καὶ τὰ ὅμοια οὔ φαμεν ἔχειν ἐν παραθέσει τὴν χι, οὐδὲ ὡς τοῦ ι ἀποβληθέντος ἀπόστροφον ἐπιδέχεται, ἀλλὰ πεπλεονακέναι τὸ χ ἐν τῷ μέσῳ διὰ τὸ κεχηνέναι.* Similiter scholiasta ad Tzetzae Chil. AO III p. 356 (vide apud Uhligium: Gr. Gr. I 1 p. 113 adnot.): *οὐκ ἔστι καὶ οὐχ' ὡς καὶ οὐχ' οὕτως* (non licet scribere nec *οὐχ' ὡς* nec *οὐχ' οὕτως*). *ἀπόστροφον οὐ δεῖ γράφειν· χάριν γὰρ εὐφωνίας περισσῶς ἐτέθη τό τε κ καὶ τὸ χ, καὶ ἀντί τινος πεσεῖται ἡ ἀπόστροφος, κἄν τις βούβαλος ἐν τῇ Διονυσίου γραμματικῇ προσέθετο φλυαρῶς, ὡς τὸ ⟨⟨οὐχ' οὕτως, οἱ ἀσεβεῖς οὐχ' οὕτως⟩⟩, ὅσα τε ληρεῖ.*

Quamquam apostrophum Graecos non posuisse nisi hiatus vitandi causa inter omnes notum est. Velut dixerunt, ut exemplorum, quorum ingens infinitaque copia pullulat, nonnullis utamur: *ἀλλ' ἐμός, ἀλλ' εἶδον, οὐδ' εἶπεν, δεῦρ' ἴθι, ἐπ' ἐμέ.* Quibus de causis incertus grammaticus [2]) de apostropho disserens *ἡ δέ*, inquit, *ἀπόστροφος τίθεται, ὅταν διὰ τὴν καλλιφωνίαν κουφίζηται, δύο φωνηέντων συμπεσόντων ἐν συνθέτῳ λέξει, τὸ ἓν φωνῆεν, ὡς ἐντεῦθεν εἴη δῆλον, ὅτι τὸ φωνῆεν ἐξεβλήθη καὶ ἀπεστράφη διὰ τὴν τῆς φωνῆς ὡραιότητα. χάσκει γὰρ ὁ λόγος ἐν ταῖς τῶν φωνηέντων συγκρούσεσι, καὶ δοκεῖ ἀηδής τις καὶ ἀκαλλώπιστος.* Neque aliter de hac re iudicat Porphyrius [3]): *ἐπινενοῆσθαι δέ φησι τὴν ἀπόστροφον διὰ τὴν εὐφωνίαν. ἵνα γὰρ μὴ γένηται σύγκρουσις φωνηέντων, διὰ τοῦτο, φησί, τὸ ἓν φωνῆεν γράμμα ἐκθλίβεται.*

---

1) Gr. Gr. I 3 p. 60, 24 sqq.
2) Gr. Gr. I 3 p. 155, 1 sqq.
3) Gr. Gr. I 3 p. 146, 12 sq.

Hiatus fugiendi causa Pindarum vocativum fecisse *ἀκαμαντοχάρμαν Αἶαν* pro *ἀκαμαντοχάρμα Αἶαν* Choeroboscus[1]) ratus *καί*, inquit, *χωρὶς τοῦ ἀκαμαντοχάρμαν Αἶαν παρὰ Πινδάρῳ. οὗτος γαρ τὴν κλητικὴν εἰς ν εἶπεν, οἷον* (fragm. 184 B[4]) *ὑπερμενὲς ἀκαμαντοχάρμαν Αἶαν. ἀλλ' ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι ἡ κατὰ συνεκδρομὴν τοῦ Αἶαν ἐγένετο ἀκαμαντοχάρμαν εἰς ν, ἢ διὰ τὴν ἐπαλληλίαν τῶν φωνηέντων. εἰ γὰρ εἶπεν ἀκαμαντοχάρμα Αἶαν χωρὶς τοῦ ν, ἀλλεπαλληλία ἤμελλεν εἶναι τῶν φωνηέντων, καὶ ἐκ τούτου κακοφωνία ἐγένετο.*

Quapropter Aeoles, quippe qui *ν* litteram contra ceterorum morem Graecorum saepissime abiecerint[2]), tamen ad hiatum vitandum illam commisisse videntur. Velut scriptum legimus: Alcaei fragm. 60 Ahrens., 77 Bergk.[3] *ἄμμιν ἀθάνατοι θεοί*, item Homeri Il. I 73: *ὅς σφιν εὐφρονέων*, Homeri Il. XXII 474: *μετά σφισιν εἶχον ἀτυξομένην.* Praeterea Graecos *ν* litteram, quae vocatur *ἐφελκυστικόν*, euphoniae causa verbis quibusdam interdum adiecisse Apollonius Dyscolus contendit: *πάλιν γάρ*, inquit, *παρελαμβάνετο εἰς δήλωσίν τινος. καὶ ἐκκείσθω ὑπόδειγμα τὸ ἐπὶ τοῦ ν, ὃ μάλιστα πάμπολλόν ἐστιν ἐν τῷ πλεονασμῷ, ἕνεκα εὐφωνίας παραλαμβανόμενον ἐπὶ παντὸς βραχυκαταλήκτου ῥήματος, ἔλεγεν, ἔλαβεν, καὶ ἐπὶ δοτικῶν (τῶν) εἰς σι ληγουσῶν, παισίν, χρήμασιν*[3]).

Supervacaneum esse censemus de hac re verba facere, praesertim cum nemo nesciat Graecos illam litteram vocali vel dipthongo insequente semper adhibuisse idque ideo, ut hiatus duritatem evitarent.

Cognovimus igitur et Graecos et Romanos hiatum asperum duxisse. Nihilo minus non solum apud illos, verum etiam in latino sermone vocalium concursio haud raro invenitur. Et hanc ad difficultatem solvendam dicendum est: ut euphoniae ratio non ubique laudanda, immo verborum imprimis sententia respicienda est[4]), ita hiatus tantopere non est fugiendus, ut vis atque impetus dicendi quodammodo infringatur. Quam ob rem Quintilianus[5]),

---

1) Gr. Gr. IV 1 p. 149, 6 sqq.

2) Cf. Apollonius Dyscolus Gr. Gr. II 1 p. 97, 20 sq.: *τὰ γὰρ παρ' Αἰολεῦσιν ἕνεκα τῆς συντάξεως πολλάκις ἀποβάλλει τὸ ν δι' εὐφωνίαν.*

3) Gr. Gr. II 1 p. 252, 35 sqq.

4) Cf. Quint. inst. or. VIII 3, 17: *nam rebus atrocibus verba etiam ipso auditu aspera magis convenient.*

5) Inst. or. IX 4, 35.

cum vocalium concursum minime laudet comprobetque, tamen de hiatu vitando haec quoque addit: *non tamen id ut crimen ingens expavescendum est, ac nescio neglegentia in hoc an sollicitudo sit peior. Inhibeat enim necesse est hic metus impetum dicendi et a potioribus avertat.*

Qua cum sententia comparari possunt illa Dionysii Halicarnassensis verba, quae de Isocratis cupiditate vocum suavium adhibendarum fecit: *ἐκλέγει μὲν εὖ πάνυ, καὶ τὰ κράτιστα ὀνόματα τίθησιν. ἁρμόττει δὲ αὐτὰ περιέργως, τὴν εὐφωνίαν ἐντείνων μουσικήν. σχηματίζει τε φορτικῶς καὶ τὰ πολλὰ γίνεται ψυχρός* [1]. Similiter Demetrius Phalereus [2]) *ἡ δέ*, inquit, *λειότης ἡ περὶ τὴν σύνθεσιν, οἵᾳ κέχρηνται μάλιστα οἱ ἀπ' Ἰσοκράτους φυλαξόμενοι τὴν σύγκρουσιν τῶν φωνηέντων γραμμάτων, οὐ μάλα ἐπιτηδεία ἐστὶ δεινῷ λόγῳ. πολλὰ γὰρ ἐκ τῆς συμπλήξεως ἂν αὐτῆς γένοιτο δεινότερα, οἷον 'τοῦ γὰρ Φωκικοῦ συστάντος πολέμου, οὐ δι' ἐμέ, οὐ γὰρ ἔγωγε ἐπολιτευόμην πώποτε'. εἰ δὲ μεταβαλῶν τις καὶ συνάψας ὧδ' εἴποι 'τοῦ πολέμου γὰρ οὐ δι' ἐμὲ τοῦ Φωκικοῦ συστάντος. οὐ γὰρ ἐπολιτευόμην ἔγωγε πώποτε', οὐκ ὀλίγον διεξαιρήσει τῆς δεινότητος, ἐπεὶ πολλαχοῦ καὶ τὸ ἠχῶδες τῆς συγκρούσεως ἴσως ἔσται δεινότερον.*

Quin etiam Cicero [3]) hiatu commisso quasi molliorem interdum fieri orationem persuasum habens *habet enim,* inquit, *ille tamquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.* Et Quintilianus [4]), qui facere nequit, quin hac in re consentiat cum Cicerone *et nonnunquam,* inquit, *hiulca etiam decent faciuntque ampliora quaedam, ut pulchra oratione acta.* Neque aliter iudicavit de hac re Diomedes: *sed habent* (sc. vocalium collisiones) *quendam canorem pronuntiationis, quasi neglegentem decorem* [5]).

Quae cum ita sint, dubitari posse videtur, utrum Cicero, qui praesertim hiatum haud ita vitaverit [6]), orationis vitium an virtutem illum existimaverit. At omnis dubitatio tollitur, si respicimus

---

1) Cf. iudic. de Isocrate p. 95.
2) De elocutione libelli cap. 299.
3) Orat. 23, 77.
4) Inst. or. IX 4, 36.
5) GR. L. I 467, 1 sq.
6) Cf. Quintil. inst. or. IX 4, 36: *Demosthenes et Cicero modice respexerunt ad hanc partem.*

haec eius verba: *sed Graeci viderint: nobis ne si cupiamus quidem distrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos, qui, ut versum facerent, saepe hiabant, ut Naevius: 'vos, qui accolitis Histrum fluvium atque algidam'*, et ibidem: *'quam nunquam vobis Grai atque barbari'. At Ennius semel: 'Scipio invicte'* [1]).

Contra Gellius hiatum suavitatem quandam praebere confisus a poetis et graecis et romanis eum de industria dicit adhibitum esse. Itaque Vergilii versus, georg. II 224 et 225, censet legendos esse sic: *'Talem dives arat Capua et vicina Vesaevo Ora iugo'. Ea res,* inquit, N. A. VI (VII) 20, 2 *verane an falsa sit, non laboro; quin tamen melius suaviusque ad aures sit ora quam Nola, dubium id non est. Nam vocalis in priore versu extrema eademque in sequenti prima canoro simul atque iucundo hiatu tractim sonat. Est adeo invenire apud nobiles poetas huiusce modi suavitatis multa, quae appareat navata esse, non fortuita; sed praeter ceteros omnis apud Homerum plurima. Uno quippe in loco tales tamque hiantes sonitus in assiduis vocibus pluribus facit:*

*Ἡ δ' ἑτέρη θέρεϊ προρέει εἰκυῖα χαλάζῃ*
*Ἢ χιόνι ψυχρῇ ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ* [2])

*atque item alio loco: Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον* [3]). Etiam Catullum, apud quem *ebria acina ebriosioris* carm. XXVII 4 scriptum legitur, cum *ebrio* dicere et forma *acinum* uti potuerit, tamen amantem hiatus suavitatem *ebria* dixisse propter insequentis a litterae concentum Gellius existimat.

Nos quidem, quod ad hanc Gellii sententiam attinet, facere non possumus, quin ei assentiamur. Nam poetae hos, de quibus agitur, hiatus dedita opera adhibuisse videntur.

Iam quaesiverit quispiam, utrum Graeci an Romani saepius admiserint hiatum. Et aliquo iure dici potest apud Romanos vocalium concursum rarius occurrere quam in illorum scriptis. Thucydidem saltem et Platonem, ut Demosthenem mittamus, hiatum non fugisse aut diligenter vitasse et ex illorum scriptis et e

---

1) Orat. 45, 152.

2) Il. XXII 151 sq. Ad hos versus notandum est utriusque hiatus duritatem caesura quodammodo levari mitigarique.

3) Od. XI 596.

Ciceronis[1]) elucet verbis: *In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas litteras* (sc. vocalium concursiones) *tanto opere fugerit, etsi idem magister eius Isocrates fecerat. At non Thucydides; ne ille quidem haud paullo maior scriptor Plato nec solum in eis sermonibus, qui διάλογοι dicuntur, ubi etiam de industria id faciendum fuit, sed in populari oratione .... in ea est crebra ista vocalium concursio, quam magna ex parte ut vitiosam fugit Demosthenes.*

Hanc Ciceronis sententiam nos quidem laudamus atque comprobamus, quia omnibus, qui Platonis scriptis perlegendis navaverint operam, concedendum est illum multos, qui aures nostras non minus radunt, hiatus admisisse. Sufficiat hoc quidem loco illud: *καὶ εἰ αὖ σοι εἴποι ὁ αὐτός* [2]). Quamquam nobis reticendum non est etiam Platonem, cum hiatum antiquioribus in scriptis ex libidine admiserit, tamen postea eum videri quodammodo vitasse, quod in libris, qui dicuntur Philebus, Sophistes, Politicus, Timaeus, Critias, Leges, vocalium commissura satis raro invenitur[3]). Post Platonis aetatem scriptores Isocratem secuti magis magisque hiatum ut vitium orationis fugisse vel inde apparet, quod in Aristotelis scriptis perraro invenitur et posterioris aevi historici Polybius et Plutarchus[4]) eum rarissime admiserunt.

Ut iam hiatum mittamus, hanc nostram quidem sententiam esse profitemur: et Graeci et Romani vocalium concursionem plus minus asperam ideoque vitiosam habuerunt, etsi negare non possumus etiam fuisse, qui illud studium hiatus fugiendi non tam neglegerent quam neglegendum esse existimarent, quippe quod omnem orationis vim infringeret sonumque deleret.

2. Sequitur, ut dicamus de sermonis vitiis, quae cacemphaton et cacosyntheton vocantur. Graeci Romanique summa cum diligentia, ne rebus impuris offenderent aures, non solum verba per se ipsa obscenitatem exhibentia fugerunt, sed etiam cautissime caverunt, ne verborum compositione obscenius concurrerent litterae. Itaque factum est, ut grammatici, si quando scriptor vel poeta in huius modi vitium incidit, illi crimini darent,

---

1) Orat. 44, 151.
2) Cf. Alcibiad. p. 105 B.
3) Cf. Kühner-Blass: Ausführliche Gr. d. griech. Sprache I 1 p. 198 sqq.
4) Cf. Carol. Sintenis: De hiatu in Plutarchi vitis parall. Zerbst 1845.

quod cacemphaton, utpote quod multum praeberet offensionis, temere neglegenterque admiserit. At vero nos hanc quidem rem magni non esse momenti putaverimus, cum verba per se ipsa verecunda minimeque indecora consulto a quibusdam obscenitatem sine causa olfacientibus in deterius interdum trahantur. Recte igitur Quintilianus [1]) hominum mores ita corruptos depravatosque commiseratus *nec scripto,* inquit, *modo id accidit, sed etiam sensu plerique obscene intellegere, nisi caveris, cupiunt* (*ut apud Ovidium: Quaeque latent meliora putat*) *et ex verbis, quae longissime ab obscenitate absunt, occasionem turpitudinis rapere. Siquidem Celsus κακέμφατον apud Vergilium putat: Incipiunt agitata tumescere. Quod si recipias: nihil loqui tutum est.* Quae cum ita sint, tamen talia, quandoquidem verba per se ipsa honesta moribus perdiderimus, ut vitiosa vitanda esse Quintilianus ipse concedit, quod *vincentibus etiam vitiis* cedendum sit. Sed haec in universum praemonuisse satis habeo. Iam ad singula accedentes ipsa Romanorum de hac re verba audiamus simulque videamus, quatenus inter sese consentiant.

Ac primum quidem *nobiscum* pro *cum nobis* dictum esse propterea, quod *cum* vocula praeposita verbum audiatur obscenum (sc. cunno) iam Cicero persuasum habens *Quid? inquit, illud non olet, unde sit, quod dicitur 'cum illis', 'cum' autem 'nobis' non dicitur, sed 'nobiscum'? quia si ita diceretur, obscenius concurrerent litterae, ut etiam modo, nisi 'autem' interposuissem, concurrissent. Ex eo est 'mecum' et 'tecum', non 'cum me' et 'cum te', ut esset simile illis 'vobiscum' ac 'nobiscum'* [2]).

Ciceronem secuti multi grammatici disputaverunt de *nobiscum.* Velut Priscianus GR. L. II 594, 20 sqq.: *Nam antiquissimi utrumque dicebant; sed in plurali primae personae cacemphati causa solebant per anastrophen dicere 'nobiscum' pro 'cum nobis'. Itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativos similiter praepostere proferre coeperunt teste Plinio, qui hoc in II libro sermonis dubii ostendit et Cicerone, qui de oratore his utitur verbis: Noluimus 'cum me' et 'cum te' dicere, ne eadem computatione* [3]) *adiungendum esset 'cum nobis'; sed potius 'mecum' et 'tecum' et 'nobiscum' diximus 'cum' praepositione, quae facit obscenum, assidue*

---

1) Inst. or. VIII 3, 47.
2) Orat. 45, 154.
3) eidem computationi DH.

*postposita.* Idem GR. L. II 372, 7 sqq.: *Nec non etiam in contextu diversarum dictionum hoc solet fieri, ut 'cum nobis' turpe est itaque 'nobiscum' praeposterum profertur.*

Servius GR. L. IV 418, 36 sqq.: *Mecum, tecum, nobiscum, vobiscum, quod contra artem ex aperto dicitur (nemo enim dicit cum me, cum te propter cacemphaton). natura enim praepositionis exigebat, ut praeponeretur.*

Cledonius GR. L. V 75, 16 sqq.: *Praepositio dicta est eo, quod praeponatur omnibus partibus orationis excepta interiectione .... Supponitur, ut mecum, tecum. Pronominibus quando supponitur praepositio, necessitatis est causa ad vitandum cacenphaton. cum dico 'cum nobis', absonum est, vel cum dico 'cum me' et cetera.*

Hi igitur duo grammatici *cum me* et *cum te,* quippe quae compositiones minime praebeant obscenitatis vestigia, falso cacemphaton existimaverunt. Immo *mecum* et *tecum* secundum *nobiscum* formam dici coeptum esse luce clarius est.

Charisius [1]) alia cacemphati afferens exempla *cacemphaton,* inquit, *est conpositio verborum obscenae significationis, aut unius verbi obscena pronuntiatio. conpositione fit, ut 'cum Numerio fui'. sed emendabitur hoc vitium interposita aliqua parte orationis, ut 'cum quodam Numerio fui'. fit et in uno verbo, ut apud Sallustium: Ductabat exercitum et arrexit animos militum* [2]).

Nos quidem hac in re facere nequimus, quin dicamus omnibus, qui simplicibus incorruptisque animis haec verba e Sallustii bello Catilinae petita legunt, ea nihil obscenitatis exhibere concedendum esse. *Ductabat* enim *exercitum* cum dicit Sallustius, ut illud *ductare aliquam* cogitatione menteque complexus sit, tantum abest, ut contra sancte atque antique scripsisse videatur. Quam ob rem Quintilianus [3]) *sed quoniam,* inquit, *vitia prius demonstrare aggressi sumus, vel hoc vitium sit, quod κακέμφατον vocatur, sive mala consuetudine in obscenum intellectum sermo detortus est (ut ductare exercitus et patrare bella, apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis, si diis placet, quam culpam non scribentium quidem iudico, sed legentium).*

---

1) GR. L. I 270, 26 sqq.
2) Bell. Cat. cap. 17 et 39.
3) Inst. or. VIII 3, 44.

Tum pergit Quintilianus: *sive iunctura deformiter sonat, ut si 'cum hominibus notis loqui' nos dicimus, nisi hoc ipsum 'hominibus' medium sit, in praefanda videmur incidere, quia ultima prioris syllabae littera, quae exprimi nisi labris coeuntibus non potest aut intersistere nos indecentissime cogit aut continuata cum insequente in naturam eius corrumpitur.*

Diomedes [1]) unam eandemque rem tractans nomine *aeschrologias* usus est. *Aeschrologia,* inquit, *est vitio compositionis inverecunda oratio, compositio verborum obscenae significationis, aut unius verbi obscena significatio et pronuntiatio. Compositione fit, ut 'cum Numerio fui'. sed emendatur hoc vitium interposita aliqua particula, ut 'cum quodam Numerio fui'. et 'numerum cum navibus aequet'* (*Verg. Aen. I 193*). *Item unius verbi obscena pronuntiatione sic fit, ut est apud Sallustium: 'Ductabat' et 'arrexit animos militum'.* Ab hoc tamen haud multum differre id quod cacemphaton appellat, ex his eius verbis eluceat: *cacemphaton est vitio compositionis inverecunda suspicio, ut 'arrige aures Pamphile', item 'ad ramum hunc aperit, ramum qui veste latebat* [2]).

Diomedem et Charisium cacemphaton satis neglegenter confudisse cum aeschrologia nobis perspicuum fit si respicimus M. Plotii Sacerdotis [3]) verba: *Cacenphaton est oratio turpem significationem habens inturpibus verbis, ut 'lepus tute es et pulpamentum quaeris'* [4]) *et Cicero 'filiusque eius inpuber nudus stans sub fornice'* [5]). — *Aeschrologia est verborum turpitudo, non intellectus, 'conprime vis iram'* [6]) *et 'arrectique ora tenebant'* [7]) *et Cicero 'teneat nunc Metellus testes meos'* [8]). *Inter cacenphaton ergo et aeschrologiam hoc est, quod cacenphaton honestis verbis turpem continet sensum, aeschrologia vero obscenis verbis honestum exprimit intellectum.*

Aelius Donatus GR. L. IV 394, 32 sqq.: *Cacemphaton est obscena enuntiatio vel in conposita dictione vel in uno verbo, ut 'numerum cum navibus aequet', 'arrige aures Pamphile'* (*Terent. Andr. V 4, 30*).

---

1) GR. L. I 450, 32 sqq.
2) GR. L. I 451, 3 sq. (cf. Verg. Aen. VI 406 *at ramum* e. q. s.).
3) GR. L. VI 453, 16 sqq.
4) Terent. Eunuch. III 1, 36.
5) Cicero in Verr. II 63, 154.
6) Plaut. Truc. II 2, 6.
7) Cf. Verg. Aen. II 1: *intentique ora tenebant.*
8) Verr. II 56, 139.

Donatum secutus Pompeius praeter eadem exempla alia attulit GR. L. V 293, 14 sqq.: *Cacenphaton dicitur obscena enuntiatio. Fit autem aut in una parte orationis aut in contextu partium orationis aut in sensu, quod est re vera vitandum. Fit autem in una parte orationis, ut est illud apud Terentium 'arrige aures Pamphile'; potest et obscenam rem sonare: aut in contextu partium orationis 'numerum cum navibus aequet'; collidunt ipsae partes et obscenum aliquid sonant. ista in sensu vitanda sunt re vera. illa enim etiam pueri possunt scire, in una parte orationis quod fit aut in contextu partium orationis. cacenphaton quoque fit in sensu, quod re vera vitandum est, ut est illud apud Sallustium, quod notaverunt omnes, 'profectus quidam Ligus ad requisita naturae'. voluit dicere obscenam rem. quae necessitas fuerat, ut ad tam humilem et vilem descriptionem historiographus descenderet? ecce cacenphaton est modo, sed in sensu. nam quantum ad verba pertinet, honesta elocutio. ergo ista vitanda sunt, quae turpia videntur esse in sensu. habetis etiam apud Horatium*[1] *'et tuos rubros obstetrix pannos lavit'. rem turpissimam dixit, verba integra sunt et sana, sensus ipse pessimus et obscenus. ergo ista vitanda sunt graviter, non concessa sunt ista penitus nisi satiricis.*

Etiam Servius apud Vergilium nonnulla sibi videtur invenisse cacemphata. Velut compositiones obscenitatem exhibentes duxit has: *cum navibus* (Aen. I 193), *Dorica castra* (Aen. II 27), *caeca caligine* (Aen. III 203), *glauca canentia* (Georg. II 13).

Praeter cacemphati vitium paucis verbis disputandum est de cacosyntheto, quod vocaverunt grammatici. Et Quintilianus[2] id cacosyntheton appellatum esse quod male collocatum memoriae tradidit. Similiter M. Plotius Sacerdos GR. L. VI 454, 17 sq.: *Cacosyntheton est indecens structura verborum, ut 'versaque iuvencum terga fatigamus hasta'*[3].

Quos quidem versus *κακοσύνθετον* praebere grammaticus propterea dicit, quod verba sine dubio haud ita sunt collocata, ut exspectamus. Verborum enim *versa* et *terga* altero in alterius loco posito compositio fieret laudanda comprobandaque.

1) Epod. 17, 50.
2) Inst. or. VIII 3, 59.
3) Verg. Aen. IX 609 sq.

Charisius GR. L. I 271, 22sq: *Cacosyntheton est indecens structura verborum talis ut: versaque iuvencum terga fatigamus hasta.*

Diomedes GR. L. I 451, 17sq.: *Cacosyntheton est indecens structura verborum, ut est: versaque iuvencum terga fatigamus hasta.*

Donatus GR. L. IV 395, 18sq.: *Cacosyntheton est vitiosa compositio dictionum ut: versaque iuvencum terga fatigamus hasta.*

Pompeius GR. L. V 295, 3sqq.: *Cacosyntheton est *et hoc propter clausulas facimus. plerumque verba non stant in clausulis; si ipsa convertas, poterunt stare, ut 'versaque iuvencum terga fatigamus hasta'. naturalis sermo non poterat per versum currere, versa hasta iuvencum terga fatigamus, id est iuvencorum terga fatigamus: ut possit stare ille versus, naturalem sermonem convertit. unde etiam plerique notaverunt illud apud Ciceronem*[1]*), 'ad omnes meos impetus quasi murus quidam boni nomen imperatoris opponitur'. naturalis sermo erat boni imperatoris nomen opponitur; adfectavit tamen affluentiam et absolutam elocutionem et sermonem naturalem convertit. haec cacosyntheton est, quae non per naturam scribuntur, sed per quandam adfectationem praepostere scribuntur.*

Etiam Graecos *κακέμφατα* vitasse multis firmare possumus exemplis. At neque propositi mei et longum videtur esse de singulis facere verba. Hoc igitur loco id solum demonstrare mihi liceat Graecos res obscenas minime nudis enuntiasse verbis, immo peropportune atque, ut ita dicam, ingeniosissime vel aliis verbis iisque honestis atque decoris usos vel obscenitatem quodammodo velantes vel vocem obscenam sine ullo sententiae detrimento reticentes ad eundem pervenisse sensum itaque ornatum orationis auxisse. Praeclarum eiusmodi exemplum in Synesii[2]) encomio calvitiei scriptum invenitur: *οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ — τὸ δὲ ἀκροτελεύτιον αὐτὸς σὺ πρὸς τὴν ἠχὼ τοῦ τριμέτρου συνάρμοσον. οὐ γὰρ ἔγωγε φθέγξομαι τὸ δεινὸν ἐκεῖνο καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα.* Proverbium, utpote quod sit: *οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ ψηνίζεται,* totum proferre non est ausus, quod verbo illo obsceno aures offendere nolebat. Haec igitur Synesii verba, quorum ad sensum voce *ψηνίζεται* omissa nemo facile haud dubie non penetret, multum iucunditatis leporisque praebere quis est, quin concedat?

1) Verr. V 1, 2.
2) Cap. 22.

Etiam Aeschines in prooemio Timarcheae, ut audientium benevolentiam sibi conciliaret, Timarchi libidines impudicitiasque nominare decenter est veritus. Vitam illius expositurus orat, ut sibi venia detur, si quando re coactus facere non possit, quin verbis utetur indecoris (cf. § 37). Quin etiam illis locis, quibus omissa verecundia verba sordida non esse reticenda sibi videtur, tamen audientium animos quasi praeparavit ad ea, quae dicturus est. Exempli gratia § 52: *οὐκέτι δήπου φαίνεται μόνον ἡταιρηκώς, ἀλλὰ καὶ — μὰ τὸν Διόνυσον, οὐκ οἶδ' ὅπως δυνήσομαι περιπλέκειν ὅλην τὴν ἡμέραν — καὶ πεπορνευμένος* [1]).

3. Haec habuimus de hac re quae diceremus, ut ad extremum illud veniamus, quod agitur de verborum figuris vel euphoniae causa adhibitis vel propter asperitatem evitatis. Ac primum quidem accedamus ad illas figuras tractandas, quae *παρόμοιον, πάρισον, ὁμοιοτέλευτον, ὁμοιόπτωτον* vocantur, denique quae, quod ad sonum pertinet, quodammodo inter sese congruunt. Hoc autem loco, ne longum fiat, illa tantum verba ad hanc rem spectantia mihi liceat afferre, quae auctor ad Herennium [2]) de id genus verborum figuris adhibendis fecit: *Perraro sumenda sunt, cum in veritate dicimus, propterea quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione et sumptione operae; eiusmodi autem studia ad delectationem quam ad veritatem videntur accommodatiora: qua re fides et gravitas et severitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis et non modo tollitur auctoritas dicendi, sed offenditur quoque in eiusmodi oratione, propterea quod est in his lepos et festivitas, non dignitas neque pulchritudo. qua re quae sunt ampla et pulcra, diu placere possunt; quae lepida sunt et concinna, cito satietate aurium afficiunt sensum fastidiosissimum. quomodo igitur, si crebro his generibus utemur, puerili videbimur elocutione delectari, item, si raro interseremus has exornationes et in causa tota varie dispergemus, commode luminibus distinctis illustrabimus orationem.* Reapse verba praeclara ideoque commemoratione dignissima! Auctor enim, ut tales figuras per se ipsas aut laudandas aut spernendas esse censeat tantum abest, ut certis quidem locis idoneas, quae prosint in orationis ornatum, at saepius usurpatas ridiculas esse eas existimet.

1) Cf. Volkmann: Rhetorik der Griechen und Römer, Lips. 1885, p. 414 sq.

2) IV 22, 32.

Etiam Graecos talia minus comprobasse vel inde apparere videtur, quod Dionysius Halicarnassensis [1]) παρόμοια et παρισώσεις, quibus figuris saepissime Gorgias et Isocrates utebantur, ut pueriles (μειρακιώδη) reprehendit. Similiter Demetrius [2]) homoeoteleuton, quippe quo vis auctoritasque dicendi minuatur, spernendum esse dicit. Nihilo secius et in Graecorum scriptis et apud Romanos eiusmodi figurae haud raro reperiuntur. Velut Cic. de or. III 20, 75: *Metrodorum illum, de cuius memoria commemoravit Antonius;* Verr. V 12: *perditae civitates hos solent exitus exitiales habere;* de nat. deorum II 39: *terra solida et globosa et undique ipsa in sese nutibus conglobata.* Hac in re facere nequimus, quin disputemus de Lehrsii sententia, qui eius libri, quem inscripsit 'De Aristarchi studiis Homericis' p. 470 hanc in rem inquisivit: ‚Man hört ja doch nicht alles, was gleich oder ähnlich klingt. Man hört es auch nicht etwa, weil es von gleicher Wurzel ist. Ich behaupte, wenn Cicero schrieb — secuntur illa quae audivimus exempla — dass er das nicht gehört'. At vero nos quidem non possumus consentire cum eo, quia etiam Ciceronem talem verborum concentum audisse persuasum habemus. Neque enim talia dura, immo suavia ducimus idoneaque, quibus iucunditas orationis augetur. Quare Gerberus [3]) optime de hac re disseruisse mihi quidem videtur: ‚Diese Gleichklänge', inquit, ‚sind nur dann zu verwerfen, wenn sie wirklich durch den Laut vom Sinn ablenken und dadurch stören; dass sie dagegen sogleich entschiedener Wohlgefallen erregen, sobald sie Sinn haben, d. h. sobald sich die Aufmerksamkeit rechtfertigt, welche sie den Worten zuwenden' . . .

Proprium homoeoteleuton ex Aristotelis scriptis petitum affert Demetrius de eloc. libelli cap. 29: *ἐγὼ ἐκ μὲν Ἀθηνῶν εἰς Στάγειρα ἦλθον διὰ τὸν βασιλέα τὸν μέγαν, ἐκ δὲ Σταγείρων εἰς Ἀθήνας διὰ τὸν χειμῶνα τὸν μέγαν.*

Quod tales figurae vehementer aures nostras interdum radunt, magni non est momenti, cum praesertim nesciamus, quatenus asperas eas duxerint Romani. Velut nostrae quidem aures haud ita delectantur illis Caesaris [4]) verbis: *ultra eum locum, quo in loco*

---

1) De Isocrate iudic. 12.
2) De eloc. lib. cap. 27.
3) Die Sprache als Kunst I 389.
4) Bell. Gall. I 49.

*consederant — castris idoneum locum delegit acieque triplici instructa ad eum locum venit.* Quamquam verbum *loci* Caesarem consulto quater iterasse verisimile non est, tamen dici non potest, utrum asperum id putaverit necne. Hic quoque afferre mihi liceat nonnulla exempla e Livii historiis petita, quae Drakenborch collegit (cf. ed. I 3 § 9). Scriptum enim legimus II 47, 10: *post pugnam ad Regillum lacum non alia illis annis pugna clarior fuit;* III 33, 8: *nec haec priorum calamitas consulum segniores novos fecerat consules;* III 43, 3: *duae tabulae legum ad prioris anni decem tabulas erant adiectae;* XXVI 17, 2: *castris castra — castra castris.* Neque suavia illa Senecae verba nobis quidem videntur: *illa certissima est virtus, quae se diu multumque circumspexit et rexit et ex lento ac destinato provexit* (dial. III 11, 8). Haud aliter iudicamus de illis Ciceronis: *aequeque turpe atque* (pro Rosc. Amer. 40); *ad eam quam sentiam eloquentiam* (orat. 7, 23); *rerum formidolosarum contrariarumque perferendarum aut omnino neglegendarum* (Tusc. IV 53); *de re reoque* (pro Planc. 1, 3); *ea quae quaerimus* (orat. III 11), ut omittamus illa *res mihi invisae visae sunt* et *fortunatam natam*[1]). Etiam Tacitus verba pariter desinentia non plane vitavit. Velut scriptum videmus: *rediit rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis* (ann. 15, 40); *uterque opibusque atque* (ann. 4, 34).

Scriptores interdum duas inter se coniunxisse figuras vix est quod dicam. Exempli gratia Cicero pro Quint. 23, 75: *cogitent ita se graves esse, ut si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere.* Haec enim verba parisosin et homoeoteleuton praebent.

Quamquam hoc quidem loco, ut omnes eiusmodi figuras illustremus multum abest, tamen illud genus figurarum non esse praetermittendum videtur, quod, ut ait Quintilianus[2]), *aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertit in se aures et excitat.* Exempli causa scriptum legimus apud Ciceronem (Verr. I 1, 2): *est idem Verres, qui fuit semper ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum;* I 14, 40: *o scelus, o portentum in ultimas terras exportandum;* IV 5, 9: *quod putabant ereptionem esse non*

---

1) Cf. Quint. IX 4, 41: *Videndum etiam, ne syllabae verbi prioris ultimae sint primae sequentis. Id ne quis praecipi miretur Ciceroni in epistolis excidit 'Res mihi invisae visae sunt, Brute'. Et in carmine 'O fortunatam natam me consule Romam'.*

2) Inst. or. IX 3, 66.

*emptionem.* Sit nobis satis ex his exemplis intellexisse talia Ciceronem [1]) dedita opera ad iucunditatem orationis augendam sumpsisse haud aliter ac Demosthenem XVIII 11: *κακοήθης δ' ὤν, Αἰσχίνη, τοῦτο παντελῶς εὔηθες ᾠήθης;* XXIII 202: *ἀνθρώπους οὐδ' ἐλευθέρους ἀλλ' ὀλέθρους.* Qua cum re comparari possunt illa Schilleri nostri poetae verba e fabula, quae vocatur ‚Wallensteins Lager', petita: der Rheinstrom ist worden zu einem Peinstrom; die Klöster sind ausgenommene Nester. Ad talia, quippe quae facetiae sint ducenda, non multum valere quis est, quin sciat? [2]).

In poetarum carminibus tales figuras multo saepius occurrere quam apud scriptores cum inter omnes constet, tamen pauca nobis liceat exempla eligere: Ennius apud Cic. Tusc. I 28: *Caelum nitescere, arbores frondescere, Vites laetificae pampinis pubescere, Rami baccarum ubertate incurvescere* et I 35: *Haec omnia vidi inflammari Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari.* His poetae versibus Ciceronem gaudio affectum esse ex ipsis eius verbis intellegimus: *Praeclarum carmen! est enim et rebus et verbis et modis lugubre.* Plaut. Amph. V 1, 10: *Ita erae meae hodie contigit: nam ubi partuis deos sibi invocat Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: subito ut proprie ut valide tonuit.* Horatius ad Pis. 99: *Non satis est pulchra esse poemata; dulcis sunto Et quocunque volent animum auditoris agunto.* Ovidius Met. IX 43: *Cum pede pes iunctus totoque ego pectore pronus Et digitos digitis, et frontem fronte premebam.* Verg. Aen. X 360: *Troianae acies aciesque Latinae Concurrunt: haeret pede pes, densusque viro vir.* Statius Theb. VIII 397: *Iam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo Ense minax ensis, pede pes et cuspide cuspis.* Silius Italicus IX 322: *galea horrida flictu Adversae ardescit galeae, clypeusque fatiscit Impulsu clypei, atque ensis contunditur ense: Pes pede, virque viro teritur.* Lucretius de rer. nat. I 814: *multimodis communia multis Multarum rerum in rebus primordia multa.* Haec Lucretii verba nostris quidem auribus minime iucunditatem praebent, immo verbo *multi* quater repetito taedio nos afficiunt.

---

1) Cf. A. Haacke: De Ciceronis in orationibus facetiis (Progr. Burg 1886).

2) Cf. H. Kraffert l. s. s. p. 724: Dergleichen kann seine künstlerische Bedeutung haben, für das Ohr bleibt es, zumal in Menge vorgebracht, wenig erfreulich.

Graecos tale quid suavitatis causa adhibuisse Hermogenes[1]) affirmans *κάλλος*, inquit, *ὁμοίων ὀνομάτων ἐν διαφόρῳ γνώσει ταὐτὸν ἠχούντων, γίνεται δὲ ὅταν δύο ἢ τρεῖς ἢ τέσσαρας λέξεις ἢ ὀνόματα εἴπῃ τις ὅμοια μὲν ἠχοῦντα, διάφορον δὲ τὴν δήλωσιν ἔχοντα.* Mirum igitur non est, quod iam in Homeri carminibus multa eiusmodi reperiuntur exempla. At quaeritur, utrum ille pater poesis epicae praeclarissimus talia consulto adhibuerit necne. Et Immanuel Bekker[2]), subtilissimus sermonis graeci observator, de hac re verba faciens ‚Homer', inquit, ‚kennt auch die Wiederkehr des gleichen Klanges, wie reizend und mächtig die auf Ohr und Verständnis einwirkt. Darum sind ihm alle Wege gerecht, worauf ähnliche Töne nahe oder zusammen kommen.' Quamquam haec verba praeclara viroque docto digna sunt, tamen nos quidem ad Gerberi[3]) sententiam malumus accedere: ‚Es ist sicher, dass man sich das Bewusstsein und das Bemühen Homers um Gleichklänge minder hell und bestimmt zu denken hat, als Spätere es annahmen; aber wer die Gesänge der Ilias und Odyssee schuf, kann auch wohl den Gesang der Gleichklänge recht fein gefühlt haben.'

E numero exemplorum a Bekkero l. l. p. 185—195 allatorum liceat mihi ad rem illustrandam eligere haec: Il. XVI 103 sqq.: *Τρῶες ἀγαυοὶ Βαλλόντες. δεινὴν δὲ περὶ κροτάφοισι φαεινὴ Πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε, βάλλετο δ' αἰεί.* Od. I 56: *αἰεὶ δὲ μαλακοῖσι καὶ αἱμυλίοισι λόγοισιν.* Il. XIII 130 sq.: *Φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκει προθελύμνῳ Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.* Od. VII 21 sq.: *Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.* Quibus cum exemplis conferas velim haec tragicorum: Aeschylus Suppl. 838 *οὐκοῦν οὐκοῦν τιλμοὶ τιλμοί;* Agam. 1513 *ἰὼ ἰὼ βασιλεῦ βασιλεῦ;* Eum. 130 *λαβὲ λαβὲ λαβὲ λαβέ*; Sophocl. Aiac. 854 *ὦ θάνατε θάνατε;* Euripid. Androm. 245 *σοφὴ σοφή.*

Huc pertinet etiam illud, quod nos ‘Alliteration' vocamus. Qua de re auctor ad Herennium[4]) disserens *conpositio,* inquit, *est verborum constructio aequabiliter perpolita. ea conservabitur, si — vitabimus eiusdem litterae nimiam adsiduitatem, cui vitio versus hic erit*

1) Rhet. Gr. II 251 ed. Spengelius.
2) Homerische Blätter I 185.
3) L. s. s. II 145.
4) IV 12.

*exemplo: O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti* [1]) *et hic eiusdem poetae: quicquam quisquam cuiquam quod conveniat, neget.* Neque aliter M. Plotius Sacerdos [2]) notione *'aprepia'* usus talia in sermonis vitiis duxit: *Aprepia,* inquit, *est absurda et indecens verborum structura, ut 'o Tite, tute, Tati tibi tanta'.* Apparet igitur talia ut aspera vitanda esse. Quamquam multa eiusmodi reperiuntur exempla. Velut Verg. Aen. III 183: *Sola mihi tales casus Cassandra canebat.* Plaut. Bacch. III 3, 86: *Perire me malis malim modis.* Verg. Ecl. VIII 21, 31: *Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.* Ovid. Trist. III 4, 7: *Nam quamquam soli possunt prodesse potentes Non prosit potius, si quis obesse potest.* Plaut. Asin. 362: *Nam me hodie senex seduxit solum sorsum ab aedibus.* Verg. Aen. I 295: *Saeva sedens super arma.* Verg. Ecl. I 55: *Saepe levi somnum suadebit inire susurro.* Martianus Capella ad polysigma illustrandum affert V 514: *Sosia in solario soleas sarciebat suas.* Etiam apud Graecos poetas tale quid occurrit. Exempli gratia: Hom. Il. IV 526 *χύντο χαμαὶ χολάδες.* Eurip. Iph. Taur. 212: *ἄγαμος ἄτεκνος, ἄπολις ἄφιλος.* Simonides (Anthol. Graec. VI 216): *Σῶσος καὶ Σωσὼ σωτήρια τόνδ' ἀνέθηκαν Σῶσος μὲν σωθείς, Σωσὼ δ' ὅτι Σῶσος ἐσώθη.* Eur. Iph. Taur. 765: *τὸ σῶμα σώσας τοὺς λόγους σώσεις ἐμοί.* Eur. Med. 476: *ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι.* Soph. Electr. 210: *ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι.* Aesch. Suppl. 696: *φερέσθω φάμα φιλοφόρμιγξ.* In his exemplis non casui tribuendum esse, quod eaedem litterae in odium sunt repetitae, quis est, quin cognoscat?

Neque scio an hic commemoranda sint illa certis locutionibus constantia, quae ab iisdem incipiunt litteris. Velut *bella belle* (Plaut.), *bene beateque, fama atque fortuna, fluens et fragilis, fundere et fugare, longe lateque, oro atque obsecro, praeter propter, purus putus, sanus salvus, satis superque, stulta stulte* (Plaut.), *tabulis et testibus, vive valeque.* Quibuscum conferas velim illa Graecorum: *ἄλλοτε ἄλλως, κακὸς κακῶς, καλὴ καλῶς, λαμπρὸς λαμπρῶς, μεγάλοι μεγαλῶς, μηδαμῇ μηδαμῶς, ὅπῃ καὶ ὅπως, οὐδαμῇ οὐδαμῶς, πάντῃ πάντως, πάντῃ παντάπασι, πῇ καὶ πῶς, πᾶσα πάντως, περισσὰ περισσῶς, σεμνὸς σεμνῶς* (cf. Lobeckii l. l. p. 56 sq.).

1) Ennii annal. ed. Vahlenus v. 113.

2) GR. L. VI 454, 29 sq.

# Vita auctoris.

Natus sum Carolus Augustus Heuer a. d. III Idus Aug. a. MDCCCLXXXII in vico Lippiensi, cui nomen est Sonneborn. Parentes carissimos Carolum et Guilelmam e gente Hase adhuc superstites gratissimo colo animo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium urbis Lemgoviae quinque per annos frequentavi. Vere anni 1903 maturitatis testimonium adeptus almam litterarum sedem Monachiensem adii studiisque me dedi maxime philologicis classicis et germanicis. Monachii sex menses commoratus postquam Berolini per anni spatium eadem continuavi studia, Ienam me converti, ut studia ad finem perducerem.

Docuerunt me hi viri docti Monachii: Drerup, Furtwaengler †, de Leyen, Lipps, Poehlmann, Riehl; Berolini: Diels, Friedlaender, Helm, Imelmann, Kekulé de Stradonitz, Kirchhoff, Lasson, R. M. Meyer, Roethe, Rothstein, Ericus Schmidt, M. Schmidt, Schollmeyer, Schmoller, Schulze, Stolz, Vahlen, U. de Wilamowitz-Moellendorff; Ienae: Delbrueck, Eucken, Gelzer †, Goetz, Hirzel, Leitzmann, Lietzmann, Liebmann, Michels, Wilhelm.

Scholis seminarii philologici Ienensis moderantibus Gelzer †, Goetz, Hirzel per tria semestria interfui sodalis ordinarius. Ad exercitationes germanisticas Berolini Roethe, Ienae Michels benevole me admiserunt.

Quibus viris omnibus nec minus illis, qui antea in gymnasio litteris me instruxerunt, gratiam habeo semperque habebo; imprimis vero Georgium Goetz, qui me studiaque mea fovit, pio gratoque animo prosequar.